

Coll. Rom. Soc. Jesu

I

PANTALEONTIS BARTELONAEI RAVERINI,

Bibliothecae

De ratione Quantitatis Syllabariç Liber:
De varijs Carminum generibus, Comicorum autem prçcipuè, lucubratio:
De Accentibus, seu Tonis tractatus:
De Figuris Poemati frequentibus Epitome.


ROBERTI VVIDII TORNODORAEI
De Græcis Dialectis Libellus.
Ars uersificatoria, ex libro decimo Epitomæ Despaut. auth. Pelliss.

GEORGII FEDRI
De carminibus artificiosè componendis præcepta.

EIVSDEM BARTELONAEI
Syntaxis Latina facili carmine conscripta.

Accessit denique THOMAE CORRAEAE, de Prosodia, & uersus componendi ratione, Libellus.






Venetijs, Apud Dominicum Farreum, 1588.

Typographus Lector i.



AVCIS accipe, candide Lector, rationem, qua motus hanc nouam & emendatam ſyllabariæ quantitatis lucubrationem author denuò tibi parauerit. Is cum uideret progreſſu temporis. Typographorumq; incuria editiones, quæ hanc præceſſerunt, adeo labefactatas, ut uix integra dictio in illis a literarum tyrunculis agnoſceretur, curauit hanc reparare, locupletare, ac emendatioribus typis tradere. Quare illius laborem proba, gratiaſq; immortales illi age, quòd hoc opuſculum reparatum ac locupletatum tibi tradiderit, ut ſine magiſtro uerſuum genera, tonos, concentuſq; ſyllabarum a temetipſo diſcere poſſis. Vale.



REVERENDISS. DOMINO, D. CLAVDIO DE LONGAY,

Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, vulgò de Giury nuncupato.

PANT. BARTELONAEVS S.



VM in dubio multum diuq. esset animus, Cardinalis amplissime, ecquem mihi potissimum ad refellendam, coercendamque maledicorũ inuidiam aduocarem, ueniebant in mentem nonnulli, quorum aut

rauitate summa fastigioque, aut quia nondum eorum benignitatem in me sensissem, obstupescebam. Erat igitur opus ex raro nobilissimorum hominum genere aliquis eiusmodi, qui summam cum summa grauitate iunxisset humanitatem, qui me sibi deuinxisset officijs, beneficijsque omnibus. Talem autem, tam opportunum, tam ex animi mei sententia neminem præter te, uel etiam in ultimis terris si requirerem, facilè reperirem. Quippe cuius authoritas inter maximos & grauissimos Antistites excellit, & omnis mansuetudinis plena, cuius ductu, curaque grex sanctissimorum hominum, cuius consilijs & institutis stat omnis, stabiliturque religiosorum ecclesia. Tua uerò (absit assentationis opinio) in eos qui tibi iure seruitutis iugum submittunt, tanta merita constant, ut ego qui sum in eorum numero, nihil loci nobis referendæ gratiæ relictum esse putem. Sed quoniam nemo tam stolidus est, tam iners, tam omni re destitutus, cui non ulla ad aliquam, si minus ipsius beneficij, at certè animi grati

remu-

remunerationem ſuppetat facultas: *id-*
circò munus hoc noſtrum planè quidem
leuidenſe, tibi præ cæteris oblatum uo.
lui, tum ut uideret tuorum in me meri-
torum, qui plus aduerſum te nequeo, re-
miniſci: tum ut tua, qua per multos ſu-
peras ætatis tuæ, authoritas, mordacium
moroſorumque, quibus redundant om-
nia, morſus atque impetus debilitaret,
Libellum iam hunc edideram, ſed minu-
tiorem multo, quam nunc eſt, minoriſque
momenti ad vtilitatem ſtudioſorum ado-
leſcentium: eum verò cùm adeò uide-
rem auſpicato in lucem prodijſſe, ut paſ-
ſim in manibus haberent aſſidueque vo-
lutarent literarum tyrunculi, plurimis au-
tem iam progreſſu temporis, & typogra
phorum incuria labefactatum mendis, re-
paraui locupletauique, tum emendatio-
ribus typis tradidi. Quamobrem, Illu-
ſtriſſime Cardinalis, huic lucubrationi
quantulæcunque noſtræ, te omnium ma
ximè tutorem ac præſidem elegi, in cu
ius authoritate noſter labor deliteſceret,
ſineque metu conſiſteret: quod cùm ma-
† 3 iori


iori longè dignus sis munere, tum hoc leuius ab humanitate tua, quæ in propinqua parte nobilitatis est, non abhorrere exisiimo. Cuicunque enim placebit hoc opusculum, siue ut uersuum genera ac methodos ediscat, siue tonos concentusque syllabarum, in quibus hæsitare diuinis præsertim in cæremonijs insignis est imperitiæ, te is mirabitur, tibi gratias aget, mihi sat erit, si senserim hunc meum tibi laborem non iniucundum fore. Vale. Rauerijs, Calendis Nouembris, Anno a Christo in crucem acto, M D LVIII.



SIN-

SINGVLARIVM HVIVS PROSODIAE locorum,

INDEX.



Vocales ante consonantes, in primis syllabis.

In

O, ante

Vocales ante consonantes, in mediis syllabis.

I, ante

VOCA-

VOCALES FINALES
tum in nominibus, tum in uerbis. quanta.

Consonantes finales.

Accentuum ratio.

INDEX

INDEX FIGVRARVM.

Epi-

FIGVRARVM

DE QVINQVE GRÆCORVM DIALECTIS 137.

ARTIS VERSIFICATORIÆ

TABVLÆ TOTIVS SYNTAXEOS.

Syntaxis constat
Congruentia
Exigentia &
Delectu.

Congruentia quadruplex.

Adiectiui cum Substantiuo,
Relatiui cum Antecedente,
Interrogatiui cum redditiuo,&
Nominatiui cum verbo.

Exigentia duplex.

Anterior,quę soli verbo conuenit
Posterior,quæ competit omnibus orationis partibus,excepta coniunctione.

Nomen quatuor casus exigit.

Genitiuum,
Datiuum,
Accusatiuum,&
Ablatiuum.

Genitiuum exigunt

Substantiua,&
Adiectiua.

Substantiua

Omnia exceptis proprijs nominibus.

Adiectiua

Partitiua.
Verbalia
Participia facta nomina
Scientiæ, &
Inscitiæ
Desiderium & contra significantia.

Genitiuũ, uel datiuum adſciſcunt.
Adiectiua propinquitatis, &c.
Similitudinis.
Genitiuum, uel ablatiuum poſtulant.
Adiectiua copiam, aut Egeſtatem connotantia Attributa.
Datiuum adſciſcunt.
Subſtantiua, &
Adiectiua.

Subſtantiua.
Verbo Sum addita.

Adiectiua ſignificãtia.

Vtilitatem,
Damnum,
Gratitudinem,
Odium, aut
Aptitudinem, item
Verbalia in bilis,
Vel in dus.

Datiuum, uel Ablatiuum exigit.
Opus ſubſtantiuum.
Accuſatiuum adſciſcunt.
Adiectiua per Synechdochen.
Accuſatiuo, uel ablatiuo ſubijciuntur.
Menſuræ nomina.
Tẽporis ſpatium connotantia.
Ablatiuum deſiderant ſignificantia.
Inſtrumentum,
Cauſam, aut
Circunſtantiam aliquam: item,
Dignus & indignus.
Ablatiuũ cum præpoſitione recipiunt.
Ordinis numeralia, & diuerſitatis adiectiua.

Gradus comparationis tres.

Poſi-

Positiuus, Comparati tiuus,&
Superlatiuus.
Positiuus exigit.
Secundum significatio nem.
Cōparatiuus inter res eiusdem natura.
Genitiuū pluralem in ter duo.
Inter res diuersas.
Ablatiuū utriusq; nū- meri sine ꝓpositione.
Superlatiuum inter plures.
Genitiuum pluralem,
Comparatiuus item,
& Superlatiuus.
Casum sui positiui.
Positiuo debita parti- cula.
Per, ualde, maximè, in primis, mirificè, &c.
Comparatiuo.
Quæ, ò finiunt aduer- bia.

Comparatiuo & Super latiuo.
Longe, & multo.
Superlatiuo tantum.
Facile.
Comparatiui constru- ctionem impedit.
Quam, particula
Ornatum adfert cum ei additur.
Relatiuum Qui, quæ, quod,
Pro, uel, ut.
Pronomen tres casus e- xigit.
Genitiuum, Datiuū, & Ablatiuum.
Genitiuum habent.
Substantiua, & adie- ctiua.
Substantiua.
Quæ neutra sunt adie ctiuorum.
Adiectiua.
Partitionem significan tia.

Datiuum, vel ablatiuum.
Idem,
Verbum construitur.
A fronte, & A tergo.
A fronte.
Verbũ personale modi finiti cum nominatiuo,
Et eius loco infinitiuus, & cętera.
A tergo regit.
Nominatiuum, Genitiuum, Datiuum, Accusatiuum, & Ablatiuum.
Nominatiuum regunt.
Verbũ substantiuum,
Verbũ vocatiuum, &
Quæ vim eorum habent.
Genitiuum postulant.
Sum, cum possessionem significat
Satago, Misereor, &
Miseresco: item
Quę ad æstimationē pertinent.
Genitiuum vel accusatiuum desiderant.
Recordandi, &
Obliuiscendi uerba.
Genitiuum, uel ablatiuum
Quæ ad accusationē,
Crimen, uel
Absolutionem pertinent. item
Abundantiæ, &
Vacuitatis uerba; &
Quę ad animi perturbationem spectant.
Datiuum postulant.
Sum, pro Habeo.
Item uerba
Auxilij
Nocendi, irascendi, &
maledicendi,
Obsequij verba,
Assensus,
Occursus & repugnãtiæ.

Contingentiæ,
Studij & diligentię adhibendę
Confidentię
Parcendi
Cum uarijs pręposi-tionibus composita
Acquisitiuę posita.
Festiuitatis gratia.
Duos datiuos habent.
Sum,pro dat,u el afficit.
Verto,do, duco, &
Habeor.
Datiuum & accusatiuum desiderant
Dandi & reddendi verba.
Nuntiandi & Declarandi.
Iubendi & Committendi.
Prohibendi,& Negandi
Excellentię,
Comparandi,
Promittendi,
Arrogandi,&
Ascribendi,
Subiugandi,
Deuouendi,&
Alia pręterea.
Accusatiuum tantum postulant.
Actiua uerba
Neutra transitiua
Neutra etiam,absoluta
Neutra, per figuram.
Duos accusatiuos habent.
Vestiendi
Rogandi
Informandi
Commonendi,&
Celo uerbum.

Accusatiuum uel ablatiuum postulant.
Verba quę ad quamdiu respondent.
Verba distantiæ

Neutrũ uel, passiuum per Synecdochen.

Accusatiuum cũ ablatiuo postulant.

Onerandi, &
Exonerandi,
Afficio item, &
Prosequor.

Accusatiuum & ablatiuum cum prepositione,

Auferendi uerba.

Ablatiuum solum,

Quę excessum,
Instrumentum,
Formam uel, modum
Precium, aut
Efficientem causam significant,

Per Ecclipsin in oratione posita.

Potiendi uerba
Sequelę, aut ablatiuus
Absolutus pręterea.

Ablatiuum cum prapositione requirunt.

Passiuum verbum,
Passiuum significatione tantum,
Accipiendi, &
Rogandi uerbum.
Distãdi Abstinẽdi mereri bene, uel male:
Cui succedit materialis dictio.

Communes casus admittunt.

Neutra etiã absoluta
Propter pręposition ẽ in compositione.
Propter pręposition ẽ in appositione
Composita dictio pro simplici.
Deriuatorum Syntaxis
Pugnantia
Ex significatione constructio obseruãda circuitionis uirtus, &
Delectus in uerbis.

Infinitiuus regit.

Ab anteriore &,

Apo-

A posteriore.

Ab anteriore.

Accusatiuum.

A posteriore.

Casum sui uerbi;

Similes casus connectunt.

Esse, &

Infinitiua alia quędã.

Infinitiuus pendet.

A uerbis sensum, aut uoluntatem significantibus.

Ab adiectiuis quibusdam.

A substantiuis Poetico more.

Impersonalium.

Quędam actiuę vocis in T,

Quędã passiuę in tur.

Passiua uocis regunt.

Ab anteriore, &

A posteriore.

Ab anteriore.

Ablatiuum pfixa prępositione.

A Posteriore.

Nullum, nisi deducantur.

A neutris absolutis, aut

Quib. pręposítio suppeditat.

Actiua uocis multiplex.

Primi ordinis,

Secundi ordinis,

Tertij ordinis,

Quarti ordinis,

Primi ordinis.

Interest

Refert, &

Est.

Hac genitiuos postulant.

Nominum,

Pronominum,

&

Participiorum.

Excipiuntur.

Mei,

Tui,

Tui,
Sui,
Noſtri,
Veſtri.
Horum loco intereſt, & refert recipiuntur.
Mea,
Tua,
Sua,
Noſtra,
Veſtra,&
Cuia. *Eſt vero.*
Meum,
Tuum,
Suum,
Noſtrum,
Veſtrum.
Secundi ordinis.
Pœnitet,
Miſeret,
Tædet,
Piget,&
Pudet.
Ab anteriore poſtulant.
Accuſatiuum
A poſteriore.
Genitiuum
Tertij ordinis.
Liquet,
Vacat
Conuenit
Decet
Expedit
Licet, &
Sufficit.
Ab anteriore poſtulant.
Infinitiuum
A poſteriore
Genitiuum
Quarti ordinis
Iuuat
Decet,&
Oportet.
Ab anteriore
Infinitiuum
A poſteriore
Accuſatiuum.
Gerundiorum tres terminationes.

Di,ut amandi
Dum,vt amandum
Do,ut amando.

Ab anteriore

Nihil prorſus regunt.

A poſteriore

Actiuè ſumpta,caſum ſui uerbi,
Paſſiuè autem, nihil omnino,

In di,poſtponuntur

Subſtantiuis,&
Adiectiuis quibuſdã,

In dum, poſtponuntur

Verbis motus ad locum,&
Verbis etiam quietis.

Succedũt praetereapra poſitionibus

Ob,
Ad,
Propter,&
Ante.

In do, poſtponuntur praepoſitionibus.

In,
De,
Cum,
E,
Ex,
A, vel ab.

Aut abſolute ponuntur omnino.

Supinorum duae termi nationes.

Vm,ut lectum.
V,ut lectu.

Ab anteriore.

Nullum caſum habẽt.

A poſteriore.

Si ſumantur actiuè uerbi ſui caſum recipiunt; paſſiue nullum prorſus.

In um,iunguntur.

Verbis apertum, aut latentem motum ſignificantibus; ponuntur & abſolutè cum uerbo eſt,uel paſſiue, cum

cum infinitiuo iri.

In V, iunguntur

Adiectiuis nominibus

Participium ab anteriore

Nihil regit.

A posteriore.

Casum sui uerbi.

Ans, Ens, & Rus.

Ab actiuo, regunt accusatiuum

A neutro casum secũdum significationem uerbi

Tus, & dus.

A passiuo regunt ablatiuum prefixa prepositione

Ans, Ens, Rus, & Tus.

A deponenti actiuo accusatiuum.

Ans, Ens, & Rus.

A communi accusatiuum

Dus.

Ablatiuum affixa prepositione

Tus, uel Sus.

Nunc accusatiuum, nunc ablatiuum, pro significatione

Migrat in nomen participium.

Mutatione cõstructionis.

Temporis amissione,

Assumpta comparatione,

Compositione a uerbo aliena, &

Cum a uerbi significatione dissentit.

Aduerbij constructio.

Cum nominatiuo,

Genitiuo,

Datiuo,

Accusatiuo,

Vocatiuo, &

Ablatiuo.

Cum

Cum nominatiuo.
En,& Ecce
Cum genitiuo
Quantitatis.
Loci, &
Temporis:Item
Quę ſunt ſuperlatiui gradus.
Cum datiuo
Obuiam
Similiter
Propinquus,&
Proprius.
Cum accuſatiuo
A prępoſitionibus accuſatiuis deducta.

Cum uocatiuo
Vocandi,
Compellandi
Cum ablatiuo
Aduerbium comparatiui gradus
Cum genitiuo, uel ablatiuo
Pridie,&
Poſtridie
Cum accuſatiuo,uel ablatiuo
Abhinc temporis aduerbium.
Cum nominatiuo, genitiuo, accuſatiuo, & ablatiuo
Amplius,&
Minus.
Quæſitiua præcipua 4.
Vbi in loco,
Quo,ad locum,
Qua,per locum,
Vnde de loco.
Ad ubi reſpondent
Hic,
Iſtic,
Illic &c.
Ad quo.
Huc,
Iſtuc,
Illuc,&c.
Ad qua.
Hac,

Istac,
Illac,&c.

Ad vnde.

Hinc,
Istinc,
Illinc,&c.

In loco,& de loco signi ficant.

Foris,&
Intus.

In loco, & ad locum

Nusquam,
Vsquam,&
Vspiam

In loco, de loco, & ad locum.

Peregre

Ad vbi respondent nomina

Propria,&
Appellatiua.

Propria

Aut minorũ locorum
Aut maiorum

Locorum mincrum propria.

Primæ, uel Secundæ singularis numeri, in genitiuo.

Tertia

In datiuo, uel ablatiuo

Prima uel Secunda pluralis

In ablatiuo itidem.

Locorum maiorum propria, aut appellatiua.

In ablatiuo, pręfixa prępositione in.

Quatuor appellatiua in genitiuo.

Humi
Militię
Belli,&
Domi.

Vnum in datiuo, uel ablatiuo.

Ruri,uel Rure,

Ad quo respondent nomina.

Propria &
Appella-

Appellatiua.

Propria

Locorum minorum in accusatiuo

Locorum maiorum & appellatiua.

In accusatiuo similiter, sed cum ad.

Duo appellatiua reijciunt præpositionem.

Rus, &

Domus.

Ad unde respondent.

Propria similiter, &

Appellatiua.

Propria

Locorum minorum, & Maiorum.

Locorum minorum

In ablatiuo sine præpositione

Locorum maiorum

In ablatiuo etiam, sed cum præpositione A, vel de, sic de appellatiuis iudicandum.

Duo tamen reijciunt præpositionem.

Rure, &

Domo.

Ad qua, respondent etiam.

Propria, &

Appellatiua.

Propria

Locorum minorum, & Maiorum.

Locorum minorum

In ablatiuo etiam

Locorum maiorum, & appellatiua,

In accusatiuo addita præpositione per;

Duo appellatiua sequuntur propria

Rure, &

Domo.

Coniunctio connectit

Casus, &

Modos similes,

Sed

Sed non tempora.

Præpositionum.

Aliæ accuſatiuæ, 30. numero, q̃ accuſatiuo ſeruiunt. Aliæ ablatiuæ, 15. tantum, quæ ablatiuo. Aliç commu nes 4. utrique caſui ſubſeruientes.

In,
Sub,
Super, &
Subter.

In ſeruit accuſatiuo, cum ſignificat

Erga,
Contra,
Coram,
Apud.
Ad, & uſque ad.

Item & cum ſignificatur

Motio,
Mutatio,
Diuiſio,
Similitudo, &
Rei incrementum cũ tempore.

Seruit autem ablatiuo

Cũ accuſatiuus in loco ſignificatur.

Sub, ſeruit accuſatiuo, cum ſignificat

Subter,
Circum,
Pauloante, &
Paulopoſt.

Seruit autem ablatiuo cum ſignificat

In
Ad
Iuxta &
Infra.

Super ſeruit ablatiuo cum ſignificat

Vltra,
Propter,
Prope, &
Inter

Ablatiuo ſeruit cum ſignificat

De,

De, uel
In,
Subter iungitur promiscue
Accusatiuo, &
Ablatiuo,
Praponitur
A, consonantibus,
Ab, uocalibus,
Abs, & q, & t.
Interiectio cum quinque casibus solet constrwi.
Nominatiuo,
Datiuo,
Accusatiuo, &
Ablatiuo,
O, iungitur
Nominatiuo,
Accusatiuo, &
Vocatiuo.
Hau, & Proh.
Nominatiuo, &
Accusatiuo.
Hei & Veh.
Datiuo tantum.
Apage.
Accusatiuo, &
Ablatiuo, præfixa præpositione.
Figurarum tabula
Figurarum
Aliæ constructionis,
Aliæ dictionis,
Aliæ locutionis.
Constructionis figura.
Appositio,
Euocatio,
Synecdoche
Syllepsis
Zeugma
Prolepsis
Antiptosis
Enallage, &
Ecclipsis.


FINIS.

INDEX SINGVLORVM Thomæ Corræi locorum

De Prosodia, & metri componendi ratione.


Sextus

FINIS.



PANTALEONTIS BARTELONAEI, RAVERINI,

In Prosodiam Epitome.



ROSODIAM compendiosè scripturi, primum a regulis generalibus auspicabimur, sed quid Prosodia sit prius definiendum duximus. Itaque Prosodia est carminis, & accentus notitia. De carminis, & pedum ratione (nequid hic expectes) illico post generales regulas pręcipietur, & de accentu post regulas speciales.

Adnotabimus præterea ex literis duabus, & uiginti, quibus utuntur Latini, quinque tantùm esse uocales, A, E, I, O, V: cæteras uero consonantes, in quas sæpe etiam migrant, I, & V, ut Virgo, Iupiter.

Ex consonantibus nouem mutas esse B, C, D, F, G, K, P, Q, T.

Liquidas ueras duas tantum, L, & R, minus proprias M, & N.

Duplices consonantes duas itidem, X, & Z, quarum uim habet I, inter duas uocales posita, ut, Maior, Peior.

Diphthongos quinque, AE, OE, Au, Eu, & Ei, ut Aeternus, Phœbus, Audio, Euterpe, Omneis.

Adnotabimus etiam ex uocalibus, & conso nantibus syllabam confici, cuius quantitas a uocali dependet. Nam quanta est uocalis, tanta dicetur syllaba.

Item ex syilabis dictiones conflari, prima scilicet, media & ultima, quandoquidem quæ inter primam sunt & ultimam, omnes mediȩ uocantur syllabȩ, ut in dictione Barteloneus, Bar, prima est syllaba, us ultima, te, lo, næ, mediæ.

REGV-

REGVLARVM GENERALIVM *prima, de Positione.*

Vocalis breuis, quam duæ consonantes continuò sequuntur, est longa positione consonantium, ut interpello, confingunt, perfectos.

Eadem erit si duplex, idest, x, aut z, sequatur, aut i, etiam consonans, ut Axioma, Azimus, Troianus.

Quæ regula non in eadem dictione tantum locum habet, sed in diuersis etiã frequẽter, ut, at regina graui, t, finis unius dictionis, & r, principiũ alterius, producunt a, uocalẽ præcedẽtem.

SECVNDA REGVLA, *de liquescentia.*

Vocalis natura breuis quam muta, & liquida in eadem syllaba sequuntur, est anceps, ut, Tenebræ, tene´bræ, Sympa´tris, sympatris. In diuersis dictionibus muta cum liquida non producunt antecedentem breuem, sed breuis, ut erat, remanet, ut, Salis horrida grando. Cœlum rescindere fratres.

Quòd si syllaba naturaliter longa fuerit, lon

ga remanet, ut matrimonium a mater, fratricida a frater, quorum prima longatur natura.

REGVLA TERTIA,
de diphthongo.

Diphthongus omnis natura producitur, ut, Aeneas, Fœnus, Aula, Eugenia, Parteis.

Exceptio.

Prę, etsi diphthongo scribitur, sequente tamen uocali bræuiatur, ut præeo, præoccupo, præambulo.

De diphthongis in Gręcis dictionibus dicetur postea.

REGVLA QVARTA,
de uocali ante uocalem in Latinis.

Vocalis ante uocalem in Latinis corripitur.

Exceptio.

Fi in fio producitur, ut fiam fias, fiemus fiebam: Nisi cum post E sequitur R, tunc enim fi, corripitur, ut fierem, fieri, prima breui. Genitiui & datiui quintę declinationis E uocalem puram, id est, inter duas uocales positam, producunt, ut diei, speciei.

Nam

Nam si E uocalem consonans præcedat, breuiatur, ut rei, spei.

Longatur, & multorum sententia uocalis ante I, in uocatiuis nominum in ius, & ubicunque I, consonans in uocalem uertitur, ut, Caius, Cai pro Caij, Pompei pro Pompeij. Nā detrimentum literæ, uel syllabæ, productione compensatur.

Variatio.

Genitiui in ius communem habent penultimam, ut unius, u'nius, illius illius. Excepto tamen alte'rius, quod semper breuiatur.

Non desunt etiam qui uocalem ante uocalem in interiectionibus faciant ancipitem, ut, Ohe, Hahahe, Vaha, Haha.

Adnotatio.

Alius genitiui casus longatur.
Alius nominatiui corripitur.

REGVLA QVINTA, de uocali ante uocalem in Græcis, & Hebrais.

A, ante a, in Græcis & Barbaris dictionibus breuiatur, ut, Phraates, Nausicaa, Naaman.

Variatio.

Variantur duo, Baal idoli nomen, Abraham multarum gentium pater.

A, ante e.

A, ante e, corripitur: ut, Aello, Danae, Aedon.

Exceptio.

Longantur, aer, unum elementorum.
Laertes Laerte, Vlyſſis pater.
Laerte Laertes, urbs Ciliciæ.

Variatio.

Variantur nomina in ael, ut, Iſrael, Michael, Raphael, Nathanael.

A, ante i.

A, ante i, tam Latinum, quàm Græcum breuiatur, ut, Iudaicus, Thebais, Phocais.

Exceptio.

Longantur genitiui, & datiui in ai, ut aulai, pro aulæ, pictai, pro pictæ, Achaia Græciæ regio, unde Achaicus, & Achais, idis. Homolaides, urbs ſeptem portarum: Laicus. popularis: Lais nomen mulieris: Laius proprium.
Naïs, Nymphæ nomen, & fluuij. Mnaïs.
Panchaia, Arabiæ regio.
Taygete, es, uel Taygeta, ę, Agenoris filia.

Taygetus,

Taygetus, montis nomen.
Thais, meretricis nomen.
Thraicius, qui eſt è Thracia.

Variatio.

Cain, uiri proprium in ſacris, qui fratrem interemit, primam uariat.

A, ante o.

A, ante o, longatur: ut, Amithaon, Machaon, Lichaon.

Exceptio.

Aglaodos, canis nomen.
Aglaophon, pictoris nomen.
Chaos, rerum omnium confuſio.
Gabaon, urbs Iudææ.
Laodocus, uiri proprium.
Pharaon, Rex Aegyptiorum.
Phaon, puer redamatus à Sappho.

Adnotatio.

Aonia, pro Hannonia Galliæ regione corripit primam, mediam producens.

Aonia, pro muſarum regione, primam producens, ſecundam breuiat.

A, ante u.

A, ante u, producitur: ut Nicolaus, Hermolaus, Menelaus, &c.

Exceptio.

Exceptio.

Cranaus, Regis & populi nomen.
Danaus, uiri Græci proprium.
Oenomaus, Regis nomen.
Talaus, unus Argonautarum.

E, ante uocales omnes.

E, ante a.

E, ante a, producitur, ut Calliopea, Agea, Deiopea.

Exceptio.

Cochlea, pagi, & mulieris nomen.
Græcum in eus, uel in thea, breuiat e, ante quamlibet uocalem, ut Tideus, ei, Thereus, ei.
Dorothea, Idomeneus, & Ilioneus sæpius.
Albunea, montis, & fontis nomen.
Anteas, gigantis, & regis nomen.
Arteate, Arteates.
Baleares, insulæ, & populi.
Bareas, philosophi nomen.
Boreas, uentus, qui & Notus dicitur.
Broteas, uiri nomen, id est, deuorator, Bractea.
Carneades, Philosophi nomen.
Crocea, oppidi nomen.
Cyaneę, insulę.

Cyneas, montis & uiri nomen.
Cynea, fruticis nomen, Cochlea, æ.
Learchus, filius Inorus.
Lea, leonis femella.
Leęna, idem.
Meleagra, oppidi nomen.
Meleager, Oenei regis filius, qui & Meleagrus.
Neęra, mulieris nomen.
Oceanus, maris Deus, uel ipsum etiam mare in neutro genere declinatum.
Phea, fluuius & uiri proprium.
Smerea, suffrutex.
Theanum, oppidum.
Theano, theanus, mulieris nomen.
Theegęa, oppidi nomen, sic Theegęus.
Tyrea, urbis nomen.

Et composita a quatuor Græcis nominibus, Creas, id est Caro, unde Artocrea, id est, panis carnibus mixtus.

Θεῶ, id est, contemplor, unde Theatrum, id est, locus eminens a quo spectatur.

Neos, id est, nouus, unde Nearchus, Neapolis.

Cleos, id est, gloria, unde Cleanthes, Clearchus.

Adno-

Adnotatio.

1 Aeneas, pro duce Troiano, Anchisæ filio, mediam producit.

Aeneas, pro altero quodam, in actis Apostolicis, eandem breuiat.

2 Rhea, mater Romuli, priorem longat.

Rhea, Saturni uxor, eandem corripit.

Variatio.

Andreas, uiri proprium.
Chorea, iocularis saltus.
Framea, iaculum.
Idea, omnium rerum species.
Leander, adolescentis nomen.
Malea, Laconiæ promontorium.
Medea, mulieris nomen.
Nemea, eę, uel Nemee, es, montis, urbis, & syluę nomen.
Platea, quiuis locus amplus.
Rhomphea, gladij genus.

Diphthongus AE, & OE, ante A.

AE, uel OE, diphthongus ante a, longatur, ut, Aeacus, Iudæa, Melibœa, Phronœa.

E, ante e.

E, ante e, corripitur, ut, Nemee.

Exceptio.

Exceptio.

Eetion, pater Andromaches.

AE, diphthongus ante e.

AE, ante e, producitur, ut, Nisæe, uel Nesæe, Aeta.

E, ante i.

E, ante i, producitur, ut, Deidamia, Deiphobus, Deianira, &c.

Variatio.

Aeneis, dos, opus Virgilianum de Aenea.
Neipe, mulieris proprium.
Nereis, marina dea.
Pyreicus, pictoris nomen.

AE, & OE, ante i.

Diphthongus æ, & œ, ante i, longatur, ut Barcæi, Rhipæi.
Onomatopœia, Prosopopœia.

E, ante o.

E, ante o, breuiatur, ut Cleopatra.

Exceptio.

Deois, idis, Proserpina.
Ethneon, oppidum.
Lageos, uitis genus, seu potius herba qua uescuntur lepores, lagos enim Græcè, Latinè leporem significat.

Adnotatio.

Eos, id est, aurorā, unde Eous, id est orientalis, primam producit.

Heos uerò cum aspiratione, id est, lux, seu lumen, unde & Heous, id est, illuminans, eandem corripit.

Itaque nihil significatione differunt, sed quātitate tantum.

Variatio.

Gedeon, unus ex iudicibus Iudæorum, uariatur.

AE, & OE, ante O.

Diphthongus æ, & œ, ante o, longatur, ut, Aeolus, Bœotia regio, a Bœoto Neptuni filio appellata Bœorix Cambrorum Rex.

Variatio.

Composita a Græco, γῆ, idest, terra, ut, Georgius, Georgica, uariantur.

E, ante u.

E, ante u, producitur, ut, Maleus, montis, & uiri proprium, Alpheus per e, fluuius, per æ, uiri proprium.

Exceptio.

Creusa, Aeneæ uxor. Orpheus pro Orpheus dissyllabo.

Dorotheus, uiri proprium, & ſi quod eſt a Theos, id eſt Deus, ut Entheus, id eſt Deo plenus.

Timotheus, Theodorus, Enneus, & ſi quod eſt a neos, id eſt nouus.

Variatio.

Zebedeus, uiri proprium uariatur.

AE, & OE, ante u.

Ae, & œ, ante u, longantur, ut, Nazaræus, Iudæus, Meliboœus, Cœus.

I, ante uocales, in Græcis, & Barbaris.

I, ante a.

Y, Græcum, & I, Latinum ante a, breuiãtur, ut, Hyades, Helias, Harmonia.

I, longum ante a.

I, longum ante a, producitur, ut, Elegia, Latria. Quod in e, longum uerti poteſt, ut, Thalea, Cytherea.

Submonitio.

Caue in huiuſmodi dictionibus, quæ præſertim ad has poſtremas regulas pertinent, Poetarum quorundam abuſui magis credas, quàm ueterum ſcriptorem eruditę traditioni.

Variatio.

Variatio.

Cyana, fontis & nymphę nomen.
Diana, soror Phœbi.
Pleias, Atlantis filia & stella.
Polymnia, una Musarum.

I, ante e.

I, ante e, breuiatur, ut, Hierocomium, Hieron.

Exceptio.

Piera, Bœotiæ regio, sic Pierides.
Pierus, nouem Musarum pater.

Variatio.

Gabriel, Archangeli nomen.
Priene regionis nomē, rectius tamē corripitur.

I, ante o.

I, ante o, breuiatur, ut, Iole, Iola.

Exceptio.

Clio, una Musarum.
Diogenes, philosophi nomen.
Enyo, us, Bellona.
Hermiona, urbs in mari Aegeo.
Herios, urbs.
Iob, uiri nomen.
Spio, nymphæ nomen.
Thiodamas, uiri proprium.

Variatio.

Io, lus, mulieris nomen, & interiectio blandientis,

dientis,variatur:ut,Ionia regio, & Ion Ionos, viri nomen.

Longantur quædam nomina in ion : ut Arion, Amphion.

Quædam breuiantur:ut Asterion, Amphytrion, Endymion. *Submonitio*.


Vt autem tutius agas, poetas fac imiteris: non enim hic certa de his regula præscribi potest.

I, ante u.

I, ante u, breuiatur:ut, Iulius, Priameius.

Exceptio.

Agenius, id est, sine barba.
Brauium, uictoriæ præmium.
Chius,a,um, ad Chion pertinens.
Chrium, aries, fons & promontorium.
Darius, Persarum rex.
Diuus,a,um, id est, diuinus.
Gynecium, locus in ædibus secretior.
Hormius, fluuius.
Idolium, id est, templum.
Lycium, gymnasij Aristotelis nomen.
Ormius, Thessaliæ fluuius.
Orithius, Thessaliæ mons.
Orius, gygantis & fluuij nomen.
Prymnesium, nautarum funis.
Sperchius, Thessaliæ fluuius.



Et à πολέω deducta: ut, Oenopolium, Bibliopolium. Et à τρέφω deriuata: ut sunt Brephotrophium, Ichthyotrophium. Et à δέχομαι composita: ut, Xenodochium, Pandochium.

Adnotatio.

1 Bacchius, pro pede metrico, longat mediam.

Bacchius, uiri proprium, eandem breuiat.

2 Lycius, gentile nomen, a regione Lyciæ, mediam corripit.

Lycius, pro Apolline, eandem producit.

3 Arrius, hæretici nomen, primam positu longat, & mediam corripit.

Arius, populi nomen, primam breuiat, & mediam producit.

Variatio.

Graphium, stilus quo scribimus.

Scaphium, matula ad scaphæ similitudinem.

Eugenius, uiri proprium.

Maurus.

O, ante a.

O, ante a, corripitur. ut, Stoa, Oaxes.

Exceptio.

Ioannes, uiri nomen.

Oarion.

Troas,Troadis,Troiana mulier.

Variatio.

Siloa,uariatur a Christianis.

O,ante e.

O,ante e,breuiatur:ut Chloe.

Exceptio.

Aloeus,gigantis nomen.

Typhœus,gigantis nomen etiam.

Submonitio.

Heroes,Troes,& similia cremento patent.

Variatio.

Noe,uiri proprium uariatur.

O, ante i.

O,ante i,corripitur:ut,Eubois, Simois.

Exceptio.

Dęmois,ancilla.

Deois,Proserpina.

Lagois,piscis & auis nomen.

Phoix,uel Phoicus,auis.

Stoicus,in Stoa philosophans.

Troilus,Priami filius:Troia adiect. trisyll.

Zoilus,inuidus poetaster.

Obliqui Gręcorum habentes o, ante i, vt, Minois,Trois.

Item à productis deriuata:ut, Heroicus, Troicus.

Adnotatio.

Oiclus, Amphiarai pater, longatur.

Oiclus, Centaurus, corripitur.

O, ante o.

O, ante o, breuiatur: ut Laocoon, Lagoon.

O, ante u.

O, ante u, corripitur: ut, Panthous, Antinous.

Exceptio.

Achelous, Deus, & fluuius.

Pirous, herois nomen.

Possessiua in ous; ut à Latona, Latous: à Gela, Gelous.

V, ante vocales.

V, ante vocales breuiatur: ut, Suas, suadis, Rues, ruis: Pruis, pruidis.

De primitiui, & deriuatiui quantitate.

SEXTA REGVLA.

Deriuatiui tanta est syllaba quanta & primitiui: ut quia Amo, habet priorem breuem: Amabam, amator, & cætera deriuata ab eo, primam correptam habebunt.

Et, quia Legi priorem longat, eandem producent Legeram, legissem, legerim, legero, legisse.

Exceptio.

Exceptio.

Adnotarunt Grammatici a breuibus deducta, quæ primam producunt.

Binus a bis.
Ceritus a Ceres.
Denus a decem.
Fomes & fomentum, a foueo.
Humanus & humor, ab humus.
Iocundus a iocus, uel Iocundus a iuuo, Ibo ab eo.
Iumentum etiam a Iuuo.
Iunior a iuuenis.
Lex legis, a lego.
Laterna a lateo.
Macero a maceo.
Mobilis a moueo.
Nonus a nouem.
Numen a nuo.
Petus a peto.
Pedor a pede.
Quibo a queo.
Rapum a rapio.
Rem⁹, Remex, Remigo, Remigiū a Remoueo.
Regula, & Rex regis a Rego.
Sedes a ſedeo.
Totus a tot.

Trinus à tribus.
Vires à uireo.
Vena à venio.

Exceptio altera.

Rursus quæ sequuntur à longis deducta primam corripiunt.
Acerbus ab acer adiectiuo.
Arena & Arista ab areo.
Bubulcus à bubus.
Curulus à curru.
Dux ducis à duco.
Dicax, Maledicus, Causidicus a dico.
Disertus à dissero.
Fides à fio, vt fiat quod dictum est.
Fragor & fragilis à frango.
Farina à farre.
Fatuus à Fando.
Genui à gigno.
Lucerna a luceo.
Lotium à lotu.
Ligula à lingua.
Manus à mano.
Mamella à mamma.
Noto à notu.
Nato à natu.
Offella ab offa.

Posui à Pono.
Perfidus à fido.
Sagax à saga.
Stabulum & stabilis à sto.
Sigillum à signum.
Sopor à sopio.
Siquidem à si & quidem.
Strigilis à stringo.
Tigillus à tignum.
Titulus à tutando.
Vadum à uado.
Vir viri à vis.

REGVLA SEPTIMA, *de compositione.*

Simplicis & compositi eadem est quantitas etiam diphthongo, aut uocali mutata: ut, Amicus, Inimicus, Amo, Redamo: Lędo, Illido. Claudo, Occludo.

Exceptio.

Quæ sequuntur, syllabam corripiunt, quæ longa est in simplicibus.

1 Nomen in nubus, à nubo, is: ut, Pronubus, ba, bum: Innubus, ba, bum.

2 Nomen in dicus, à dico, cis: ut, Falsi-

dicus,a,um: Maledicus,a,um.

3 Participium in tus,a compoſitis uerbi Noſco,ſcis:ut,Cognitus,ta,tum,a Cognoſco, ſcis. Agnitus ab agnoſco.

Verbum in iero,a iuro:ut, Peiero, peieras: Deiero,as.

Nihilum a nihil & hilum,id eſt, res nullius momenti.

Semiſopitus,a ſemi,id eſt,medium, & ſopitus,a ſomno excitatus.

Comitium uerò ex cum,i.ſimul, & itum itu ſecundam producit:cum itu ſimplex corripiat.

Adnotatio.

Ambitus ſubſtantiuum nomen, pro honorum cupiditate,mediam corripit.

Ambitus participiale adiectiuum,id eſt,Circundatus,contra primitiui naturam (quod eſt itu)eandem producit.

Variatio.

Connubium,ideſt, matrimonium, mediam habet ancipitem.

OCTAVA REGVLA,
de particulis A, Præ, De, Se,
& huiuſmodi.

Quanta eſt in appoſitione præpoſitio, tanta eſſe

esse debet in compositione.

Quemadmodum enim dicis, Alacris descen dit in arma:ita rectè dixeris, Timidè est aggres sus inermem.

Itaque ex præpositionibus quædam longan tur, nempe A, E, de, se, præ, & di: ut, Amoueo, Educo, Deduco, Semoueo, Prẹuideo, Dirigo.

Exceptio.

Dirimo tamen, id est, diuido: & Disertus, id est, facundus, primam breuiant.

Submonitio.

Memineris regularum præcedentium: nam propter uocalem sequentem dehisco primam breuiat: ut, Prẹuro, & Præeo.

Noueris etiam multa simplicia esse, & primam correptam habere, quæ cum præpositione Præ, vicinitatem habere uidentur: cuiusmo di sunt Premo, Precor, Precium, Preces, & cætera.

Corripiuntur autem ab, ad, in, ob, per, sub, & re: ut adamo, ineo, perimo, obaudio, abeo, sub eo, repeto.

Tri etiam & bi, non diuersa ratione breuian tur: ut triuium, biuium.

Submonitio.

Submonitio.

Particularum pręcedentium uocalem quã tumuis breuē, sequentes duæ consonantes pro ductam faciunt: ut, adfero, ingredior, perferro, obuolutus, abscondo.

Submonitio altera.

Adnotabis prętereà has ferè omnes præpositiones cum iacio posse componi, atque si duplex i, recipiant, positione produci, ut obijcio, adijcio, obijcio, subijcio, reijcio, alterum autem i, si respuant, breuiari, ut, abicio, subicio, reicio, &c.

Variatio.

Variantur repuli, retuli, & reperi, adiecto enim altero p, vel t, producuntur, reiecto, breuiantur.

Adnotatio.

Refert ex ablatiuo re & fert, id est, utile est, primam producit.

Refert personale a refero, eandem breuiat.

Pro.

Pro, prępositio Gręca, id est, ante, corripitur: ut, Propheta, prologus, prophanus. Pro Latina prępositio producitur in compositione: ut, Produco, proficio,

Submonitio.

Submonitio.

Videndum tamen ne à procul aut prope fiat deriuatio: tunc enim quantitas mutaretur: ut, propinquus, propero: aut dictiones simplices sint: ut, probrũ, probus. In his.n.pro breuiatur.

Exceptio a pro Latino.

Proteruus, id est, petulans.
Procello, procul iacio, hinc Procella.
Pronepos, nepotis filius.
Proneptis, neptis filiæ.
Profectò aduerbium, utique & certè.
Proficiscor, uado & uenio.
Profugo, as, prima: longè repello.
Profugio, gis, tertiæ, hinc Profugus & Profugium.
Profestus, sta, stum, id est, non festus.
Profundo, abundanter fundo.
Profiteor, apertè loquor: a quo professus.
Profor, apertè loquor.
Profanus, à quo profano, as.

Submonitio.

Memineris autem primitiui, & deriuatiui regulæ, quorum eadem est quantitas: ueluti enim Profundo primam corripit.

Sic

Sic profundens, profusio, & huiusmodi.

Adnotatio.

1 Procio, id est, prouoco seu lacesso, primam & secundam in supino Procitum longat.

Procio, id est, quæro, peto, primam & in supino procitum secundam corripit.

2 Propago, pro progenie, primam corripit: Propago, pro uinea, eandem longat.

Variatio.

Procuro, id est, prouideo.
Propago, as, id est, produco.
Propello, longè trudo: hinc propulso, as.
Propino, as, id est, præbibo, is.

REGVLA NONA.

I, & O, in compositione.

Dictio Græca, aut Latina composita, cuius prior pars in i, aut o, definit, illud i, aut o, corripit: ut, Sacrifico, Cunctipotens, Chirotheca; Zelotypus.

Exceptio ab I.

Ilicet interiectio.
Meridies, meridio, & meridior.
Ibidem, siquis, tibicen.
Vbique, ubinam, ubiuis, ubilibet.

Scili-

Scilicet, Ironicè aut affirmatiuè sumptum.
Et quæ habent i, non rati ne compositionis, sed casus tantum: vt, Quantilibet, quantiuis.

Exceptio altera.

Lagopus, pes leporinus.
Leucopetra, promontorium, alba petra.
Minotaurus, monstrum.
Orthodoxus, a, um, id est, rectæ opinionis vir.
Theophila, Dei amatrix: sic Theophilus.

Adnotatio.

Idem generis neutri priorem corripit.
Idem generis masculini eandem longat.

Variatio.

Geometer, uel tra, terræ mensurator.
Quotidie, unde & quotidianus.
Siquidem, coniunctio.
Vbicunque, id est, in omni loco.

De præteritis dissyllabis.

REGVLA DECIMA.

Dissyllaba præterita priorem longat: ut, Legi à Lego, Sēdi à Sedeo, Vidi à Video.

Exceptio.

Bibi à Bibo, Dedi à Do, Fidi à Findo, Scidi à Scindo,

à Scindo, Steti à Sto, Tuli à Fero, priorem breuiant.

Preterita polysyllaba.

Præterita geminantia syllabam primam, utramque corripiunt: ut à Pario peperi, à Tundo tutudi, à Pello pepuli.

Exceptio.

Pepedi, à Pedo, id est, postico crepitum facio: mediam longat.

Adnotatio.

Cecidi, à Cædo, mediam longat.
Cecidit, à cado, eandem corripit.

Regula aliorum præteritorum.

Præterita quæ neque dissyllaba sunt, neque geminant priorem, præsentis indicatiui quantitatem sequuntur: ut Amaui, ab amo: Docui, à doceo, &c. Nisi literatura non obseruetur: ut in his, genui, posui, potui, & coegi, quæ primam breuiant, quamuis à longis ueniant.

REGVLA VNDECIMA, *De supinis.*

Dissyllaba supina priorem longant: ut, lusum, à ludo, uisum, à uideo: & quę inde deriuantur: ut, allusum, inuisum, & cętera.

Exceptio.

Exceptio.

Breuiantur citum,tu,à cieo,id eſt,uoco.
Datum,tu,à do.
Futum,tu,à fuo,uerbo antiquo,id eſt, ſum.
Itum,tu,ab eo.
Litum,tu,à lino.
Quitum,tu,à queo.
Ratum,tu,à reor.
Rutum,tu,a ruo,id eſt,cado.
Satum,tu,a ſero.
Situm,tu,à ſino.
Statum,tu,à ſiſto.
Statum,tu,à ſto.

Submonitio.

Staturus tamen & compoſita à ſto, quæ atum habent in ſupino,ſta,ſyllabam producunt: ut,præſtatum,præſtaturus, obſtaturus: quæ ſi a,in i,mutent,ſeruatur regula:ut prȩſtitum,inſtitum.

Adnotatio.

Supina & ab eis deriuantia a cio, & compoſitis eius,primam longant.

A cieo uero,eandem breuiant:ut citum, tu, concitus, ſed quia eadem duorum eſt ſignifica tio,prima uariari uidetur.

Regula

Regula aliorum supinorum.

Verbum quod ui, ultimam syllabam præteriti, mutat in tum, supini uocalem longat ante tum: ut, amaui, amatum: moui, motum: quæsiui, quæsitum: audiui, auditum.

Submonitio.

Quoties uocalis ante tum, primitiui nō mutatur, primitiui quantitatem seruat: ut, à dormitum, dormito, tas, dormiturio, &c.

At ubi a, in i, mutatur, contra primitiui naturam breuiatur: ut, Rogito, à rogatum: Clamito, à clamatum, &c.

Adnotatio altera.

Hæc uerba formationem regularium nō habent: sub regula tamen continentur.

Voluo, volutum: Soluo, solutum.

Potior, potitum, penultima longa.

Adnotatio.

Oblitum, oblitu, ab Obliuiscor, mediam longat.

Oblitum, oblitu, ab Oblinor, eandem breuiat.

Variatio.

Petitum, itu, & deriuata uariantur.

Submonitio.

Alia supina de quibus nihil dictum est, præsen-

ſentis indicatiui quantitatem habent, ut, Dilectum a diligo, Cubitum a cubo, Habitum ab habeo, &c.

Submonitio.

Fac ſemper ob oculos habeas primitiui & deriuatiui regulam. nam multa participia, multa uerbalia, multa etiam frequentatiua a Supinis oriuntur, quorum quantitatem ſeruant, ſic de preteritis iudicandum, a quibus multa tempora formantur.

Regula duodecima de uerborum Crementis.

Crementum primum uerbi, uocalis eſt quæ ultima fuit in ſecunda perſona ſingulari præſentis indicatiui, uocis actiuæ, ſiue fictæ, ſiue propriæ, ut, Amas, amabam, Amaui, Doces, docebam, docebo. Vocales autem aliæ, crementa media nuncupantur, ut, tertia in legebamus, & quarta in audiebamus. Porrò in communibus & deponentibus uerbis, fingenda erit actiua uox, ut a criminor, crimino, as, a largior, largio, largis.

Crementum per A.

A, in omni cremento uerbi producitur, ut certabamus, criminabamus, ſtudebamus, legebamus.

Exceptio.

A,in cremento primo uerbi do,das,& compositis eius,quę sunt coniugationis primæ,corripitur, ut dabam, dabo, uenumdabã, uenundabo.Secundum autem,sub regula continetur, ut dabamus, dederamus, longa penultima.

E,in cremento.

E,in creméto utroq; producitur,ut cãtemus, cãtaremus,studemus,currebam, ét si r, sequatur,ut,amauerũt,uel ere,docuerũt, uel ere.Docerẽ,docere,legerũt,uel ere:audierunt,uel ere, in uoce passiua idem facito seruatis seruandis.

Exceptio.

1 E,ante ram, rim, ro, in omni coniugatione corripitur, ut regnaueram, regnauerim,regnauero,docueram,docuerim, docuero.Legeram, legerim, legero.

2 Beris,& bere,in futuro indicatiui uocis passiuæ,corripitur,ut tentaberis,uel bere,docebe ris,uel docebere,fateberis, uel fatebere.

3 E, crescens in præsenti cuiuslibet modi,cõ iugationis tertiæ,&in præterito imperfecto mo di coniunctiui,breuiatur,ut indicatiuo, legeris uel legêre.Optatiuo,legerem,uel legerẽ.Præterito imperfecto coniunctiui, legerem uel legerer . Infinitiuo legere.Reris tamen & rere in

præsenti

præſenti optatiuo,& præterito imperfecto ſubiunctiui etiam tertię coniugationis longatur, ut,legereris uel legerere, legeretur, ſic remus, & retis, ut legeremus legeretis, ſcriberemus ſcriberetis.

I, in cremento.

I, in crementis cuiuſcunque coniugationis, corripitur, ut,cantauimus, monuimus, mouebimus, ibimus.

Exceptio.

Crementum primum per i, coniugationis quartę non pręteriti temporis, producitur,ut, audimus,audite,audirem,audire.

Submonitio.

Primi crementi memineris, nam ſecundum crementum per i, corripitur, ut tertia in audiuimus, & quarta in audiueritis. Memineris etiam,regulam intelligi de cremento non pręteriti temporis,nam i, in pręterito ſemper breuiatur, ut curauimus, ualuimus, conſuluimus, poliuimus.

Exceptio ſecunda.

Iui,ſemper longatur,ut quæſiui,dormiui.

Exceptio tertia.

Crementum per i,in uerbis ſum,nolo,& uolo,cū compoſitis,producitur,ut ſitis,nolite,uelimus,

limus, uelitis.

O, in crementis.

O, ſemper longatur, ut curatote, abitote.

Crementum per V.

V, in cremento breuiatur, ut quæſumus, poſſumus, nolumus, uolumus.

Regula decimatertia, de crementis nominum.

Crementum nominis, pronominis, & participij eſt exceſſus ſyllabę, uel ſyllabarum in obliquis ſupra nominatiuum eiuſdem numeri, ut, hic puer, huius pueri, hi pueri, horũ puerorum.

Crementum plurale.

Crementum plurale in a, in e, & in o, longatur, ut dearum, deabus, rerum, rebus, amborum, ambobus. Sed crementum per i, uel u, breuiatur, ut fratribus, manibus, uerubus, quęſtubus. Porrò, quia prima declinatio non creſcit in ſingulari, niſi pro æ, dicatur ai, ut aulai pro aulæ, pictai pro pictæ, neque etiam quarta, nĩſi in datiuo, ubi uocalis uocalem pręcedentem breuiat, ut manui, uiſui: Et crementum ſingulare quintæ declinationis ſatis patet ex regula de uocali ante uocalem, ut dici penultima longa, rei, ſpei, penultima breui, ideo a ſecunda auſpicabimur.

Cremen-

Crementum secundæ.

Crementũ quodcunq. declinationis secũdę in singulari breuiatur, ut, Vir,uiri,satur,saturi, puer,pueri:Orpheus,orphei, unus,unius.

Exceptio.

Iberi tamen cum composito suo Celtiberi longatur, & est populi nomen.

Crementum tertiæ in A.

Nomen tertiæ in a, corripit atis,& atos, ut dogmę, dogmatis ,uel dogmatos, ęnigma, ænigmatis, uel ænigmatos. Quod si mutetur in atum declinationis secundæ, produci debet, ut baptismatum,baptismati, poematum, poemati,penultima longa.Cęterum quia nomen in e, non crescit in genitiuo,ut cubile, cubilis,monile , monilis : Et nomen in i , non uariatur , ut gummi, huius gummi, synapi,huius synapi: ad crementum in o,descendemus.

O.

Nomẽ in o,aut genitiuum habet in onis,ut lectio,lectionis,aut enis,ut Anio, enis, & horũ penultima semper lõgatur, aut in inis habet,& huius penultima corripitur,ut uirgo, ginis:margo,ginis.Nomẽ aũt cuius nominatiuus indifferẽter est in o,uel in on,corripit onis in genitiuo, ut Agamẽno uel Agamẽnon,huius Agamẽnonis,

nis,brito,uel briten,huius britonis. At quia nomen in u,non uariatur in obliquis, ut cornu, gelu, ideo ad finales consonantes deueniemus, quarum prima est b, in quam nullum nomen uariabile desinit,ut Iacob,Iob, Moab.

C.

Genitiuus nominis exeuntis in c, penultimam longat,ut Melchisedech, ecis,halec,ecis.

D.

Genitiuus nominis in d,penultimam etiam producit,ut Dauid,idis.

Exceptio.

Bogudis tamen penultimam breuiat nomē uiri. Et quia nullum nomen desinit in i, neque etiam in g,aut in K,& si quod est non uariatur. idcirco tantùm de his quæ in l,desinunt præcipietur.

L.

Al masculinum alis corripit, ut sal, salis, Hannibal Hannibalis, Al neutrum producit alis, ut tribunal, alis. El producit elis, ut Gabriel,elis.

Il corripit ilis,ut pugil, ilis.

Ol longat olis, ut Sol, olis.

Vl ulis breuiat,ut Consul,ulis.

Nullum nomen tertiæ desinit in m.

Nomen

N.

Nomen in n, genitiui penultimam longat, ut, Totan, anis, lien, enis: Delphin, inis.

Exceptio.

Genitiuus tamen in inis, corripit, ut fluminis, luminis, a flumen & lumen.

Submonitio.

Adeo uariè on, apud Poetas inuenitur, ut de eo regula certa dari non possit.

Quędam enim producunt onis, ut Babylō Babylonis, Symon Symonis.

Quædam corripiunt, ut canon, onis, dæmon, onis. fac igitur Poetas tibi imitandos proponas.

Variatio.

Sidonius, nia, nium, qui a Sidone Phœniciæ urbe originem ducit.

Edonius, nia, nium, qui in Edone promontorio natus est, secundam uariant.

Crementum per r.

In ar, neutrum, longat aris, ut Calcar, aris.

Exceptis tantum.

Nectar, aris.

Iubar, aris.

Ar masculinum, aris corripit, ut Cęsar, aris.

Nar tamen naris producit, id est fluuius.

Adnotatio.

Lucar pro lucro quodam,& ſacrificio,aris,producit,lucar,pro aue, aris corripit.

Er.

Er,eris,corripit, ut Anſer,eris.

Exceptio.

Bizer,eris,Ponticus populus.
Erier,eris,Germaniæ populus.
Iber,eris,Hiſpaniæ, & Armeniæ populus.
Græcum in ter, ut Panther, eris.
Soter,eris,id eſt ſaluator.

Exceptis tamen.

Aeter,quod eris corripit, ut æther ætheris.

Ir.

Nomen in ir declinabile corripit penultimam genitiui,ut martyr,yris , ſic protomartyr.

Or.

In or nomen oris longat,ut labor, oris,paſtor, oris.

Exceptio.

Neutrum in or penultimam breuiat in obliquis,ut æquor,æquoris,marmor, marmoris.
Item memor memoris, arbor arboris . Græcũ etiam in or , ſiue proprium , ſiue appellatiuum,ut Hector,Hectoris,Rhetor,oris.

Vr.

In ur,etiam nomen penultimam genitiui breuiat,

niat, ut Sulphur, ſulphuris: Guttur, gutturis.

Exceptio.

Fur tamen furis producit.

As.

As, atis, longat, ut ueritas, ueritatis, bonitas, atis.

Exceptio.

Anas, anatis, animal Amphibion. as, adis corripit, ut lampas, adis, dorcas, addito.

Adnotatio.

Vas uaſis producit.
Vas breuiat uadis.

Es.

Es, corripit genitiui penultimam, ut ſtipes, itis, Ceres, eris, antiſtes, ſtitis.

Exceptio.

Heres, edis, locuples, etis, merces, edis, Quies, quietis, ſic inquies.

Græcum cuius genitiuus eſt in etis, ut lebes, etis, Cremes, etis, tapes, etis.

Submonitio.

Aes, ęris, Præs, ædis, diphthongo longantur.

Is.

In is nomen, genitiui penultimam breuiat, ut lapis, idis, puluis pulueris.

Exceptio.

Glis longat gliris, id est animal.
Mesis mesidis, insulę nomen.
Psophis Psophidis, oppidi & Nymphæ nomen.
Nomen etiam in Is genitiuum formans in itis: vt Quiris, Quiritis, lis, litis, penult. producit.
Adde Gręca in is, quæ per en etiam finiūtur, ut Salamis Salaminis, Thraſſis Thraſſinis, nam & Salamin & Thraſſin dicimus.

Os.

Nomen in os, in obliquis producit penultimam, ut flos, oris, Sacerdos, otis.

Exceptio.

Bos, ouis.
Compos, otis.
Impos, otis.

Vs.

In us nomen, genitiui penultimam corripit, ut, Tripus, odis, uellus, uelleris, corpus, corporis.

Exceptio.

Comparatiua in us, ut maius, oris.
Quæ habent utis, ut uirtus, utis.
Quæ habent udis, ut subſcus, udis.
Quę habent uris, ut ius iuris, rus ruris.

Exceptis tamen.

Pecus, udis, Ligus, uris,

Intercus,

Intercus, utis: Quę penultimam corripiunt.

Bs. Ms. Ps.

Nomen habens s, post consonantem, nempe B. M. P. genitiui penultimã corripit, ut trabs, abis, adeps, ipis.

Exceptio.

Conops, nopis, culex. sic Conopeum.
Cyclops, opis, gigas unoculus.
Europs opis, Regis nomen.
Gryphs yphis, id est animal.
Hydrops, opis, aqua intercus.
Plebs plebis, populus.
Seps, pis, clausura, uel serpens.
Cecrops, opis, populi nomen.

T.

Caput penultimam genitiui breuiat capitis: Sic composita, sinciput, sincipitis, occiput, occipitis.

X, gis.

Vocalis ante gis, corripitur, ut grex, egis, Phryx, ygis: Coniux, iugis.

Exceptio.

Rex, regis, sic prorex.
Lex, legis, sic illex, illegis.
Frux, frugis, penultimam longant.

Ex, icis.

Ex, ēt, icis breuiat, ut Pellex, icis: Vertex, icis:

Exci-

Excipitur Vibex, icis.
Nomen aliud in x, quamcunque, uocalem præcedentem habeat, in obliquis penultimam producit, ut audax, acis, fex, ecis, nutrix, icis, uelox, locis, lux, lucis.

Exceptio.

Atrax, atracis, fluuius.
Abax, acis, mensula.
Candax, acis, insulæ, & reginę nomen.
Colax, acis, parasiti nomen.
Dropax, acis, unguentum.
Fax, acis, tæda.
Panax, acis, herbæ genus, cuius succus opopanax dicitur.
Pharnax, acis, uiri proprium.
Silax, acis, scurræ nomen.
Smilax, acis, nomen uirginis in hæderã uersæ.
Storax, acis, uel styrax, arbor & unguentum.
Calix, icis, ligneum uas.
Cilix, icis, Ciliciæ populus.
Coxendix, icis, tibiæ pars.
Erix, icis, rex, mons, & urbs.
Filix, icis, herbæ nomen.
Fornix, icis, cauerna, uel lupanar.
Histrix, icis, aper spinosus.
Illix, icis, id est, Illyricus, sic Elix, icis.

Larix,

Larix,icis,arboris nomen.
Maſtrix,icis,flagellum, ſcutica.
Narix, icis, oppidum Locrorum.
Natrix,icis, ſerpens aquaticus.
Nix,niuis.
Onix,gemma; Hinc ſardonix, ichis.
Pix,icis,nigrum defluens ex arbore picea.
Salix,icis, arboris ſpecies.
Varix,uena intumeſcens.
Vix,icis,uiciſſitudo.
Cappadox,ocis, Cappadociæ populus.
Præcox,ocis, præmaturus,a, um.
Voluox,ocis,uermis.
Crux,ucis,patibulum.
Dux,ucis,qui uel quæ ducit.
Nux,ucis,arbor,& fructus.
Trux,ucis,crudelis.
Volux,ucis,lepus.

Adnotatio.

Pernix,icis,a pernitor,id eſt, uelox, genitiui penultimam producit.
Pernix,pro ſcelerato,a peruerto,eãdẽ corripit.

Variatio.

Bebrix,icis, populus.
Phœnix,icis,auis nomen.
Piſtrix,icis,ſydus,piſcis, & nauis.

Syphax,

Syphax,acis,uiri propriũ penultimam uariant.

Crementum pronominis & participij.

De cremento pronominum & participiorũ, idem iudicandum quod de nominum crementis,ut illorum,illarum, legendorum,arum, penultima longa,nostratibus, uestratibus, legentibus,audientibus, penultima breui.

Submonitio.

Quantacunq. est genitiui singulari penultima,tanta est,& sequentium casuum, in numero etiam utroque,ut lucis,ci, cem, ce, ces, &c. Quam unicam præceptionem ubique diligenter subnotabis.

Facturus etiam operæ pretium mihi uideor, si de metricis pedibus, quædam nõ inutilia hoc loco breuiter scripsero. Deinde de uarijs carminum generibus hymnographis peculiaribus, inde de lyricis, copiosius postea de Comicis. Quibus absolutis, de figuris quibusdam Heroico uersui frequentibus nonnihil attigero.

Carminis definitio.

Carmen,est oratio strictiori pedũ lege coercitum,& ornatissimum dicendi genus a canendo nomen habens, quod sit aptum cantibus.

. Carmen alio nomine dicitur uersus, quia uno uersu finito, ad principium alterius reuertimur,

timur, aut quia tamdiu uerti debet, quoad rectè constituatur.

Græco nomine appellatur metrum, q; certis pedum mensuris carmen metiri soleamus.

Pes, est metrica syllabarum constitutio, dicti pedes, quòd quemadmodum pedibus ambulamus, sic carmina quibusdam quasi pedibus incedere uidentur, uel quia per eos ueluti scalarum gradus carmina scandimus.

Scansio, est legitima metri in singulos pedes distinctio.

Tempus, est debita probationis mensura, Syllaba breuis unicum habet tempus, longa uerò duo tempora continet, quia tantum temporis absumitur in unius longæ, quam in duarum breuium prolatione, ut ludite, scribite.

Pedum numerus & ratio.

Dissyllabi sunt quatuor.

Pyrrichius, constat duabus breuibus, ut, Deus, pius υ υ

Spondeus, duabus longis, ut, audi, doctos - -

Iambus, ex breui, & longa, ut dies, mei υ -

Trochæus ex longa, & breui, ut panis, iste - υ

Octo trisyllabi.

Dactylus constat longa, & duabus breuibus: ut, Tityre - υ υ

Anapæstus,

Anapęſtus, duabus breuibus, & longa, ut, ſpecies *vv-*
Tribrachus tribus breuibus, ut dominus *vvv*
Moloſſus, tribus longis, ut, Aeneas---
Amphibrachus, longa inter duas breues, ut, libellus *v-v*
Amphibrachus Creticus, breui inter duas longas, ut, caſtitas *v-*
Bacchius breui, & duabus longis, ut, Egeſtas *v--*
Antibacchius duabus longis, & breui, ut, cælare--*v*

Sedecim tetraſyllabi.

Proceleuſmaticus, conſtat quatuor breuibus, ut, Philoſophus *vvvv*
Diſpondeus, quatuor longis, ut, oratores ----
Dijanibus, prima & tertia breuibus, ſecunda & quarta longis, ut, amœnitas *v-v-*
Ditrochæus prima & tertia longis, ſecunda & quarta breuibus, ut, cantilena-*v-v*
Antiſpaſtus duabus extremis breuibus, & duabus medijs longis, ut, Alexander *v--v*
Choriambus duabus extremis longis, & duabus medijs breuibus, ut, Pontifices-*vv-*
Ionicus a minore, duabus primis breuibus, & ultimis duabus longis, ut, Diomedes *vv--*

Ionicus

Ionicus à maiore primis duabus longis, & ultimis duabus breuibus:ut, Demetrius--uu
Pæan primus prima longa, & tribus ultimis breuibus:ut,lætitia-uuu
Pæan ſecundus,prima breui,ſecunda longa,tertia & quarta breuibus,ut,potentia u-uu
Pæan tertius, duabus primis breuibus, tertia longa,& ultima breui:ut,alienus uu-u
Pæan quartus tribus primis breuibus, & ultima longa:ut,celeritas uuu-
Epitritus primus,prima breui,& tribus ultimis longis:ut,ſacerdotes u---
Epitritus ſecundus,prima longa, ſecunda breui, & duabus ultimis longis: ut, Conditores-u--
Epitritus tertius, duabus primis longis, tertia breui,& ultima longa: ut, Concordia--u- in ablatiuo.
Epitritus quartus,tribus primis longis, & ultima breui:ut,Conſtantinus---u

De uarijs carminum generibus.

De uarijs carminum generibus ſcripturi primum adnotabimus carmen à rebus diuerſis ſortiri nomina.
Vel ab authoribus & inuẽtoribus: ut Aſclepiadeum ab Aſclepiade: Sapphicum à Sap-

 pho:

pho:Phalcucium a Phaleuco.

Vel à materia:ut, Heroicum, quo Heroum res gestæ cum laude scribũtur:Satyricum, quo hominum uitia taxantur,&c.

Vel à frequẽtiori pede:ut Iambicum,à Iambo:Trochaicum,à trochęo : Dactylicum, à dactylo pede prædominante.

Vel à pedum numero:ut,Senarium octonarium:sex & octo pedum.

Vel à scansionis mẽsuris:ut, Monometrum, unicam habens mensuram:Dimetrum , duas: Trimetrum,tres:Tetrametrum,quatuor: Pentametrum,quinque,Hexametrum, sex.

In Iambicis,Trochaicis & Anapæsticis duo pedes vnicam mensuram constituunt. In reliquis singuli pedes, singulas mensuras efficiunt.

Vel à certo pede,ut Spondaicum,cuius quintus per spondeus est .

Vel à syllabarum numero,ut,Hendecasyllabum continens sine interemptione syllabas undecim,ut,Phalcucium & Sapphicum,Pentasyllabum, Adonicum,& sic de cęteris.

Vel à numero uersuum,ut, Monostichon,si unicus est, Distichon , si duo , Tetrastichon, si quatuor,Hexasticon,si sex, Odoastichon, si octo,Decastichon,si decem sint uersus.

Vel

Vel à perfectione, ut acatalecticum, ubi nihil deest, nihil abundat, à defectu, ut catalecticum, cui una deest syllaba, Brachicatalecticum, cui plures desunt syllabę. Ab abundantia, ut hypermetrum, cui superest syllaba, sed quę a principio uersus sequentis excipitur, hypercatalecticum, ubi superest syllaba, uel syllabę etiam nusquam interemptæ.

Vel à carminis genere, ut, monocolon, idest, unimembre, quod unico genere constat, ut, Æneis Virgiliana, Dicolon, bimembre, duobus generibus constans, ut, Sapphicum cum Adonio, tricolon, trimembre, id est, trium generum carmen, ut, ex Asclepiadeo, & Pherecratio cum gliconico.

Vel à numero redeundi, ut, Distrophon, ubi post secundum uersum ad primum genus redimus, Strophe enim conuersio est tristrophon, ubi post tres uersus ad primum genus reuertimur, & tetrastrophon, ubi post quatuor uersus fit regressio.

Multis alijs nominibus meritò uocari potерunt, quibus, ne prolixitate displiceam, iam supersedeo.

Vulgaria quædam carmina hymnis ecclesiaſticis accommoda. Hexametrum & pentametrum.

Hexametrum carmen ſic dictum, quòd ſex pedibus decurrat: primis quatuor ſedibus dactylũ, aut ſpondeũ indifferenter habet: quinta ſede dactylum tantum, ſexta ſpondeum: cui pentametrum perpetuò ſuccedit. Pentametrũ autem ſic a quinque pedibus, quibus cõficitur, denominatum, prima & ſecunda ſede dactylum aut ſpondeum ſine differentia recipit: tertia ſpondeum: quarta & quinta anapæſtum.

Paradigma.

Virgo Dei genitrix, quẽ totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit viſcera factus homo.

Scanſio.

Virgo De *uu* i geni- *uu* trix quem-- totus - non capit- *uu* orbis--
In tua- *uu* ſe clau--ſit- uiſcera- *uu* factus ho- *uu* mo *u*

Aſclepiadeum, & Glyconicum.

Aſclepiadeum carmen: ſic ab Aſclepiade inuentore uocatum, conſtat ſpondeo, duobus choriambis & pyrrichio.

Glyconicum uerò a Glycone poeta repertũ, eccleſiaſtico more tres aſclepiadeos uerſus ſequ-

tur

tus:decuritque spondeo,& duobus dactylis sequentibus.

Paradigma.

Quæ vox,quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.

Scansio.

Quæ uox -- quę poterit-uu- lingua rete -uu-
xere uu
Quę tu -- martyribus -uu- munera prę - uu-
paras uu
Rubri--nam fluidò-uu-sanguine lau-uu-reisuu
Ditan-- tur bene-uu fulgidis -u-

Asclepiadeum catalecticum.

Est aliud genus Asclepiadei catalectici, breuius pręcedenti syllaba tantum (ab alijs Alemanium dactylicum,tetrametrum , hypercata lecticum uocatum)quod primo loco spondeũ recipit,secundo choriambum,tertio dactylum, & quarto spondeum.

Paradigma.

Tu cum virgineo mater honore,
Cœlorum domino pectoris aulam
Sacris uisceribus casta parasti:

Hinc natus Deus eſt corpore Chriſtus.

Scanſio.

Tu cum - - virgineo - vu - mater ho-vvnore v
Cœlo-- rum domino- vu - pectoris - vu aulã - -
Sacris -- viſceribus - v v - caſta pa - v v raſti --
Hinc na-- tus Deus eſt- vu- corpore- vu Xp̃s - v

Sapphicum carmen, & adonicum.

Sapphicum carmen à Sappho puella nomẽ habens conſtat trochæo, ſpondeo, dactylo, & duobus trochæis.

Adonium uerò ab Adone excogitatum tria ſapphica ſequi ſolet, conſtatque dactylo, & ſpondeo tantum.

Paradigma.

Iſte confeſſor domini ſacratus.
Feſta plebs cuius celebrat per orbem,
Hoc die lætus meruit ſacratum
Scandere cœlum.

Scanſio.

Iſte- vconfeſ-- ſor domi v vni ſa- vcratus - v
Feſta- v plebs cu-- ius cele- vu brat per- vorbẽ- v
Hoc di - v e læ - - tus meru - vvit ſa- v cratum- v
Scandere - vu cœlum - v

Iambicum dimetrum.

Iambicum dimetrum ab iambo pede ſic dictum; & dimetrum à duabus menſuris, qua-

tuor

uor pedes habet, iambos oẽs, aut saltẽ in locis imparibus, hoc est, primo & tertio, spondeum.

Paradigma.

Iam lucis orto sydere,
Deum precemur supplices:
Vt in diurnis actibus,
Nos seruet à nocentibus.

Scansio.

Iam lu - - cis or υ- to sy -- dere υ -,
Deum υ - prece υ- mur sup -- plices υ-,
Vt in υ- diur υ- nis ac -- tibus υ-,
Nos ser -- uet à υ- nocen υ - tibus υ-.

Iambicum trimetrum.

Iambicũ trimetrum, sex pedibus constat: locis imparibus spondeum, uel iambum mixtim recipiens: locis paribus iambum tantùm. nam iambica, & dimetra, & trimetra Ecclesiastico ritu dissyllabos tantùm pedes recipiunt.

Paradigma.

Adesto castis Christe parsimonijs,
Festumque nostrum rex serenus aspice.
Ieiuniorum dum litamus uictimam.

Scansio.

Ades υ-to ca υ stis Chri -ste par υ- simo υ-nijs υ-
Festum -- que no υ- strum rex -- sere υ- nus a υ-
spice υ-

Ieiu -- nio *v* rum dum -- lita *v* - mus vi -- cti-
mam *v* -

Trochaicum .

Eſt genus carminis trochaici, quod à Seruio Ithyphallicum uocatur:conſtans dimetro brachycatalectico,omnibus locis trochæum hñs: ſecundo tamen ſpondeum etiam recipiens.

Paradigma.

Virgo ſingularis.
Inter omnes mitis.

Scanſio.

Virgo- *v* ſingu- *v* laris- *v*
Inter- *v* omnes -- mitis- *v*

Trochaicum aliud.

Eſt & trochaicum aliud dimetrum, Alemanio acatalectico, & Euripidio catalectico alternatim decurrens:locis imparibus trochæum ha bens, ut præcedens ; locis uerò paribus etiam ſpondeum.

Paradigma,

Pange lingua glorioſi.
Prælium certaminis:
Et ſuper crucis trophæo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus uicerit.

Scanſio.

Scansio.

Pange-ulingua-uglori-uosi-u
Præli-uum cer-u tami-unis-
Et su-uper cru-ucis tro-uphæo--
Dic tri-u umphum--nobi ulem u
Quali-uter re-udemptor-uorbis-u
Immo-u latus-uvice-urit-

Carminum quorundam mixtiones.

Non est quòd putet adolescens omnium carminum genera uniformia esse,& æqualis mensuræ: sed præter monocola,hoc est unimēbra, quædam esse dicola,id est,dimembra,quædam tricola: Rursus Dicola distropha esse, cùm scilicet post duos uersus ad primum genus fit reuersio.

Item Dicola Tetrastropha, Dicola Pentastropha,Tricola Tristropha: Et quod rarũ est, Tricola Tetrastropha. De quibus sigillatim & breuiter & facilè tractare conabimur.

Monocola.

Omne ferme carminum genus est Monocolon:id est,simplex & unimembre: quale est Heroicum Hexametrum, quo tota Æneis Virgiliana,tota Metamorphosis Ouidiana, Iuuenalis & Persij Satyræ, & alia plurima sunt conscripta.De quo genere paulo ante.

Para-

Paradigma.

Quisquis enim duros casus uirtutis amore.
Vicerit,ille sibi laudemque decusq; parabit.
At qui desidiam,luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis inopsq; simul miserabile transiget æuũ.

Scansio.

Quisquis e -*uu*nim du-- ros ca--sus vir --tutis a-*uu*more--
Vicerit-*uu*ille si *uu* bi lau--demque de- *uu*|cus que pa-*uu*rabit--

Pentametrum Elegiacũ rarò sine alterius carminis admixtione graditur satis notum genus.

Paradigma.

Nobis,non uobis,uellera fertis oues,
Nobis,non uobis,nidificatis aues,
Nobis,non uobis,fertis aratra boues,
Nobis,non uobis,mellificatis apes.

Scansio.

Nobis--nõ uo--bis vel--lera fer*uu*-tis oues *uu*-
Nobis--non uo--bis ni -difica*u u*- tis aues *u u*-

Adonicum constans dactylo & spondeo,Monocolon inuenitur,sed rarissimè.

Paradigma.

Nubibus atris
Condita nullum.

Fundere

Fundere possunt.
Sydera lumen.

Scansio.

Nubibus - uu atris - -
Condita - uu nullum - -
Fundere - u u possunt - -
Sydera - u u lumen - -

Asclepiadeum apud Hymnographos nunquam, nisi admixto Cliconico reperitur, apud Lyricos Poetas frequenter.

Paradigma.

Nostris auribus audiuimus ò Deus.
Nobis à patribus tradita per manus:
Maiores etenim cuncta nepotibus
Narrauere suis quanta operatus es.

Scansio.

Nostris--aurib. au-uu diuimus ò -uu- Deusuu
Nobis--à patribus uu tradita p̃ uu manusuu
Maio--res etenim-uu cuncta nepo-uu-tibusuu

Asclepiadeum catalecticum, breuius una syllaba.

Asclepiadeo præcedenti.

Paradigma.

Eructat mi animus nescio quoddam
Lætum atque egregium carmen, & illa
Quæ pridem meditor cantica regi.

Scansio.

Scansio.

Eruc--tat m'animus-*uu*-nescio-*uu*quoddam-*u*

Sapphicum hendecasyllabum, sine Adonio non recipit Ecclesiasticus concentus, alioqui frequens monocolon apud Poetas.

Paradigma.

Ergo uos quicunque deis relictis,
Imo falsorum titulis deorum
Prorsus abiectis, Domino Deoq́ue
Vni adhęsistis, celebrate, rursum
Canticis illum celebrate dignis.

Scansio.

Ergo-*u*uos qui--cunque de-*uu*is re *u*lictis-*u*
Imo-*u*falso--rum titu-*uu*lis de-*u*orum-*u*

Phaleucium carmen à Phaleuco excogitatum, decurrit spondeo, dactylo, & tribus trochæis.

Paradigma.

Ad cœnam uolui uocare nuper
Te unum cum socijs tuis amice:
Nec te, nec socios habere nuper
Conuiuas potui: rogo, quid obstat?

Scansio.

Ad cœ-nam uolu-*uu*i uo-*u*care-*u*nuper-*u*
T'unum--cum soci-*uu*js tu-*u*is a-*u*mice-*u*
Nec te--nec soci-*u*uos ha-*u*bere-*u*nuper-*u*
Conui--uas potu-*uu*i ro-*u*go quid-*u*obstat-*u*

Iambi-

Iambicum Dimetrum præter morem ecclesiasticum recipit in locis imparibus, hoc est, primo & tertio, iambum, tribrachyn, spondeum, dactylum, & anapæstum: locis autem paribus, hoc est, secundo & quarto, iambum tantum.

Paradigma.

Caue æmuleris impios,
Vllumve cum illis sit tibi
Commercium: multominus
Succense & illis inuide.

Scansio.

Cau'æ--mule υ-ris im υ-pios υ-
Vllum--ue c'ilυ-lis sit--tibiυ-
Commer--cium υ multo-minus υ-
Succen--s' & il υ-lis in--uide υ-

Iambicum dimetrum hypercatalecticum habet in prima sede spondeum uel iambum, in secunda & tertia iambum.

Paradigma.

Festina age ò Deus,
Et me tot è malis,
Queis angor, eruas,
Præsentem opem & feras.

Scansio.

Festi--n'ag'o υ-Deus υ-
Et me--tot è υ-malis υ-

Queis

Queis an - - gor e - v ruas v -
Præſen - t'op'et v - ſeras v -

Iambicum etiam trimetrum, ſex pedes habens locis imparibus, iambum, tribrachyn ſpõdeum, dactylum, & anapæſtum recipit: locis autem paribus, iambum ut tribrachym, & rariſſimè anapæſtum, niſi apud comicos: de quorum licentia poſteà dicetur.

Paradigma.

Miſereat, obſecro te, mei Deus bone
Pro magna & ampla miſericordia tua:
Miſerationum proque multitudine
Illa tuarum & copia, ſcelera mea
Abſterge, noxaſque elue ac ſordes meas.

Scanſio. (bone v-
Miſere - vv at ob v ſecro te vv - mei v - De⁹ v -
Pro ma - - gn'et am v - pla miſe vv ricor v-
dia v - tua v -
Miſera vv tio v - nũ ꝓ - que mul v - titu v - dine v-
Illa - - tua v r'et co - - pia v - ſcelera vvv mea vv
Abſter - - ge, no v - xaſque v - lu'ac v - ſordes - -
meas v -

Eſt quoddam genus iambici uerſus delũbe, & claudũ, quod Græci ſcazon appellant, eoſdẽ pedes habens cum ꝑcedẽti, niſi quod in ſexta ſede ſpondeũ habet, ſed in quinta ſemper iambum.

Para-

Paradigma.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini,ut repetente ſic Poeta prodirem.

Scanſio.

Nec fon - te la υ - bra ,pυ- lui υ -cabal υ- lino--
Nec ī υ-bicipiυυυti ſom--niaſυ-ſe Parυ-naſſo--
Memin'vtυυ repēυ-te ſicυ-poe υ-ta ,pυ-dirē--

Iambicū Ariſtophanium tetrametrum brachycatalecticum ſex primos pedes habens eoſdem cū Iambico trimetro acatalectico, & præterea ſeptimum pedē, qui ſemper eſt iambus.

Paradigma.

Quicunq; adeſtis iudicanti principi,atque ea
O iudices tam ſæpe gratia aggregamini.

Scanſio.

Quicun - - qu'adeſ υ - tis iu - - dican υ - ti prin - - cip'at υ - qu'ea υ -
O iu - - dices υ - tam ſæ υ - pe gra υ - ti'ag υ - grega υ - mini υ -

Archilochium dactilicū conſtans dactilico bucolico tetrametro:id eſt,tribus dactylis,aut ſpondeis,uel alternis, & quarto pede tantū dactilo partē orationis finiēte,& tribus trochæis.

Paradigma.

Quā uarijs terras animalia permeant figuris.

Scanſio.

Scansio.

Quam uari-vv js ter-ras ani-vv malia-vv per me-v ant fi-vguris-v

Alchaicum dactylicum constans penthemimeri iambica & duobus dactylis: id est, habens primum iambum, uel spondeum, secundum verò solum iambum: hinc manet syllaba partem orationis finiens, quam sequuntur duo dactyli.

Paradigma.

Princeps corusco sydere pulchrior.
Fauete linguis carmina non prius.

Scansio.

Princeps--corruv-sco-sydere-vv pulchrior-vv
Faue v-te linv guis-carmina-vv non prius-vv

Trochaicum Euripidium dimetrum catalecticum, quod locis imparibus trochęum, tribrachyn, & nonnunquam dactylum recipit: paribus uerò trochæum, spondeum, anapæstum, tribrachyn & dactylum.

Paradigma.

Hactenus spem collocet.
Collocaui in te, ò Deus:
Ergo ne pudefac tuum
Seruum in æternum, neque
Spe sua sine decipi:
Sed tua pro iustitia

Eripe

Eripe omnibus è malis.

Scansio.

Hacte - *v* nus ſpem - - collocet - *v v*

Trochaicum Archilochium tetrametrum cata lecticum, ſeptem pedes habet cum cæſura, omnes ferè trochæos, niſi quòd & ſpōdeum nonnunquam recipit.

Paradigma.

Per tuum Deus beate nomen ac potentiam.
Obſecro ſerua me ab hoſtib. meis & uindica.
Iudica cauſam meam, meque, & meas audi preces.

Scansio.

Per tu - *v* um De - *v* us be - *v* ate - *v* nomen *v* ac po - *v* tenti - *v* am-

Anapeſticum carmen conſtat ferè Anapęſto, ſpondeum tamen & dactylum nonnunquā admittit, raro Proceleuſmaticum.

Paradigma.

Ad te omnipotens clamabo Deus.
Deus auxilium roburque meum,
Ne me deſpice, nec mihi quæſo.
Dum uociferor & te inclamo.
Obſurdeſcas aut diſſimules.

Scansio.

Ad t'om - - nipotens *v v* - clama - - bo Deus *v v* -

Carmen choriābicum alcaicū,constans spondeo tribus choriambis, & pyrrichio uel iambo.

Paradigma.

Pascit me dominus,ꝑpterea quid deerit mihi?
Is rector meus est,quid cupiam ? quidve uelim amplius?

Scansio.

Pascit - - me Dominus - v v - propterea- vv - quid deerit - vv - mihi v v

Anacreontium dimetrum catalecticum constat anapæsto,duobus iambis,& syllaba.

Paradigma.

Stimulis agit furentes.

Scansio.

Stimulis v v - agit v - furen v - tes -

Glyconicum solum constans spōdeo,& duobus dactylis.

Paradigma.

Afferte eia principes,
Atque uni domino & Deo
Pingues cędite uictimas.

Scansio.

Affert - - t'eia - v v principes - v -

Sotadeum carmen a Sotade inuentore nuncupatū constat quinque pedibus,primis duob. Ionicis a maiore,& tribus reliquis trochæis.

Para-

Paradigma.

Nunc incipiam bis geminos pedes referre.

Scansio.

Nunc incipi - - u uam bis gemi - - u unos pe- u des re - u ferre - u

Dicola distropha.

Dicola ſunt ex duobus generib. mixta carmina, diſtropha, ubi poſt duos uerſus fit ad primũ genus reuerſio. Huius generis ſunt heroicũ, hexametrũ, & elegiacũ pentametrum, ſatis nota genera. *Paradigma.*

Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ.
Sic nullum uobis tempus abibit iners.

Scansio.

Ventu - - ræ memo - u u res iam - - nunc eſ - - tote ſe - u u nectæ - -
Sic nul - - lum uo - - bis tem - - pus abi u u - bit iners u u -

Heroicum hexametrum prępoſitum Archilochio dactylico dimetro hypercatalectico, cõſtanti duobus dactylis, & ſyllaba.

Paradigma.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
Arboribuſque comæ.

Scansio.

Diffu - - gere ni - u u ues rede- uu unt iam - -

gramina - *v v* campis - -
Arbori - *v v* busque co - *v v* mę -

Heroicum hexametrum & tetrametrum dactylicum, constans tribus primis pedibus indifferenter, spondeo & dactylo, quarto autem perpetuo dactylo.

Paradigma.

Quid siquidē domino me sustentante timebo?
Nihil hoc est duce quod me terreat:
Vel si me populi circundent millia centum.
Immensusve exercitus hostium.
Eia age surge, tuasque ò mi Deus, exere uires:
Vt saluum facias seruum tuum.

Scansio.

Quid si qui - *v v* dem domi - *v v* no me - susten - - tante ti - *v v* mebo - -
Nil est - - hoc duce - *v v* qđ me - - terreat - *vv*

Heroicum hexametrum & Archilochium hexametrum, constans dimetro iambico, & penthemimeri heroica, iambicum autem dimetrum quatuor tantùm pedes recipit æquales iābicum trimetrum. Pentemimeris uero heroica, constat duobus dactylis & syllaba.

Paradigma.

Quos maledicta iuuant, fraudes, mendacia, furta.

Horum necesse est ut siem, quos imiter similis.

Scansio.

Quos male - *uu* dicta iu - *uu* uant, frau - - des, men - - dacia, - *u u* furta - -
Horum - - necess *u* - s'est ut - - siem *u* - quos imi - *uu* ter simi - *uu* lis -

Heroicum hexametrum & iambicum tri metrum nota genera.

Paradigma.

At iustus quidnam admisi? quidnam obsecro? feci?
Cur innocenti mihi male ex animo uelint.

Scansio.

At ius - - tus quid - - n'admi - - si quid - - n'obsecro - *uu* feci - -
Cur in - - nocen *u* - ti mihi - *u u* mal'ex *u* - animo *u u* - uelint *u* -

Heroicum hexametrum & iambicum dimetrum.

Paradigma.

Quid stas tam procul a nobis Deus optime? cur hoc.
Atroci & aspero tempore?

Scansio.

Quid stas - - tam procul - *u u* a no - - bis Deus - *uu* optime *u u* cur hoc - -

Atro - - c'est as υ - pr'o tem - - pore υ -

Choriambicum monometrũ Aristophaniũ, constans choriãbo & bacchio, siue amphima cro, & choriambicum Alcaicum tetrametrum acatalecticum, constans epitrito secundo, duobus choriambis, & bacchio siue amphibracho.

Paradigma.

Comprime belluarum.
Impetũ illarum, & rabiem tot scelerũ coerce.

Scansio.

Comprime bel - υ υ - luarum υ - -
Imper'illa - υ - r'et rabiem - υ υ - tot scelerũ
- υ υ - coerce υ - -

Asclepiadeũ & iambicum dimetrũ, satis nota.

Paradigma.

O quàm mirifice mi domine & Deus,
Per ora fertur omnium.

Scansio.

O quã - - mirifice- υυ - mi domin'et-υυ-De'υυ
Per o υ - rafer υ- tur om υ - nium υ-

Dactylicum archilochium heptametrũ constans quatuor primis pedibus indifferenter ac mixtim spondei, & dactilis, ferè tamen quartus pes dactylus est, reliqui tres pedes trochæi. Et iambicum trimetrum catalecticum una syllaba breuius communi iãbico trimetro, & in

in quinta ſede ſemper habet iambum.

Paradigma.

Serua me omnipotens quādo omnia plena ſunt dolis, &

Vix reſtat ullus qui fide integra ſit.

Scanſio.

Serua - - m' omnipo - v v tens quan - - d' omnia - v v plena - v ſunt do - v lis & - v

Vix reſ- - tat ulv-lus qui--fid'inv-tegra - vſit-

Iambicum trimetrum catalecticū una ſyllaba breuius communi iambico trimetro, in quinta ſede iambum ſemper habens, & trimetrum dactilicum hypercatalecticum, conſtans duobus prioribus pedibus ſpondeo, aut dactylo indifferenter, tertio dactylo cum ſyllaba.

Paradigma.

Quouſque tandem ſerui in æternum tui
Obliuiſceris ò domine?

Scanſio.

Quouſv - que tan v - dem ſer - - u'in ę v - ternum - - tui v-

Obli - - uiſceris - v v ò domi - v v ne -

Glyconium præpoſitum Aſclepiadeo.

Paradigma.

Nunc uirtute tua Deus
Rex lętabitur, ac de auxilio tuo, &c.

 Scanſio.

Scansio.

Nunc uir- - tute tu - *v v* a Deus - *vv*
Rex lę-- tabitur ac - *vv*- d'auxilio - *v v*- tuo*v*-

Iambicum trimetrum Archilochio dactilico iunctum, quod duobus dactylis & cæsura, & dimetro iambico decurrit.

Paradigma.

Vnius omnis terra plenitudoque,
Ipsius est domini, proinde quidquid continet
Immensus orbis, uniuersique incolæ
Illius, in domini sunt & potestate & manu.

Scansio.

Vni- -us om*v*-nis ter- -ra ple*v*-nitu*v*- doque*v*-
Ipsius - *v v* est domi *v* uni proin- - de quid *v* -
quid con - - tinet *v* -

Heroicum hexametrum iambico dimetro catalectico pręposit*u*m.

Paradigma.

Quid tua flagitia, & mores ò impie iactas
Spurcos & impudicos?

Scansio.

Quid tua - *vv*flagiti- *vv* & mo- - res- - ò im
pie - *v v* iactas - -
Spurcos - - & im *v* - pudi *v* - cos-

Iambicum trimetrum pentametro iunctum.

Para-

Paradigma.

Te tollam, & eueham, quia adiutor meus,
Atque omnis bonitas es mihi, ſumme Deus.

Scanſio.

Te tol - - l'et e υ - ueham υ - qui ad υ - iutor
- - meus υ -
Atq'o - - mnis boni- υυ tas es - - mihi ſum υυ -
me Deus υυ -

Iambicum dimetrum catalecticum minus communi dimetro una ſyllaba, & ſemper habens iambum in tertia ſede, additum Pherecratio heroico trimetro catalectico, quod ſpondeo, dactilo & ſpondeo conſtat.

Paradigma.

Deus Deus meus tu
Cum ſis, ò Deus & rex, &c.

Scanſio.

Deus υ - Deus υ - meus υ - tu -
Cum ſis - - ò Deus - υυ & rex - -

Dactilicum Alcmanium trimetrum hypercatalecticum iunctum Pherecratio, de quibus antea. *Paradigma.*

Exaudi Deus alme preces.
Clamoremque meum, dum
Ad te clamo, & uociferor,
Ac te deprecor ipſe.

Scanſio.

Scansio.

Exau - - di Deus - υ υalme pre - υ ὺ ces -
Clamo - - remq́ue me - ὺ υ um dum - -

Trochaicum dimetrum catalecticum, constans tribus trochæis & syllaba, præpositum iambico trimetro catalectico.

Paradigma.

Ecquis ò Deus bone.
Habitabit in domo tua, aut sacro illo in
Monte conquiescet? ubi
Olim tua illa dignitas parauit
Regiam suam optimam?
Quicunque degit absque sorde uitam.

Scansio.

Ecquis - υ ò De - υus bo - υ ne υ
Habita υ υ bit in υ domo υ̂ tu' aut υ - sacr' il υ - l'in -

Iambicum trimetrum iambico dimetro mixtum.

Paradigma.

Audi Deus serui tui iustas preces,
Et innocentiæ meę
Rationem habens, aures tuas ne denega
Mihi, meamq́ue protinus
Orationem simplicęm audi & candidam,
Fucique prorsus nesciam.

Scansio.

Audi - - Deus υ- serui - -, tui υ- iustas - - preces υ-
Et in υ - nocen υ - tiæ υ - meæ υ-

Asclepiadæum Pherecratio pręponitur.

Paradigma.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus uersat arenas.

Scansio.

Si quã- - tas rapidis- υυ - flatibus in- υυ-citus υ υ
Pontus - - uersat a - υ υ renas - -

Asclepiadeum iambico dimetro Archilochio, acatalectico mixtum.

Paradigma.

Heu heu quàm miseros tramite deuio
Abducit ignorantia.

Scansio.

Heu heu - - quã miseros - υυ - tramite de- υυ - uio υ-
Abdu - - cit ig υ - noran - - tia υ -

Sapphicum hendecasyllabum Glyconico pponitur.

Paradigma.

Cum polo Phœbus roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit.

Scansio.

Cũ po- υlo Phœ- - bus rose- υυ is qua- υdrigis- υ
Lucem - - spargere - υ υ cœperit - υυ

Scazon,

Scazon,siue iambicum trimetrum Hiponactium acatalecticum præponitur iambico dimetro Archilochio acatalectico.

Paradigma.

Verona docti syllabas amat uatis.
Marone fœlix Mantua est.

Scansio.

Verou- na do u · cti syl- -labas u- amat u-uatis--
Maro u - ne'fœ u - lix Man- - tu' est u -

Anacreontium dimetrũ catalecticum iambicum, constans tribus pedibus & syllaba,quorum primus est spondeus,iambusq́, anapæstus, dactylus,aut tribrachys, secundum iambus,uel tribrachys, tertius autem ut primus, licet rectius pedes dissyllabos iambum scilicet,uel spõdeum admittat, pręponitur Pherecratio.

Paradigma.

Quisquis uolet perennem. -
Cautus ponere sedem. -

Scansio.

Quisquis-- uolet u - peren u - nem -
Cautus - -ponere - u u sedem - -

Dicola tetrastropha.

Dicola tetrastropha,sunt ex duobus generibus mixta,ubi post quartum quemque uersum fit ad primum genus regressus. Huius generis

sunt

ſunt Hendecaſyllabi Sapphici tres uerſus, & quartus Adonicus, de quibus inter uulgaria cārmina. *Paradigma.*

Gratias ſemper tibi rex habebo,
Te celebrabo Deus alme toto
Corde,nec quidquam niſi te deinceps.
Carmine promam.

Scanſio.

Grati *v*as ſem-- per tibi-*vv* rex ha- *v* bebo - *v*
Te ce-*v*lebra - - bo Deus - *vv* alme - *v* toto - *v*
Corde-*v*nec quid-- quã niſi-*vv* te de- *v*inceps-*v*
Carmine - *vv* promam --

Aſclepiadeum etiam carmen tres uerſus complectens,& quartum Glyconicum, de quibus ante etiam.

Paradigma.

Cœli illa ſpecies undique fulgida.
Diſtinctiſque ſuus ſyderibus decor,
Produnt quanta opifex ſit ſapientia.
Quanta magnificentia.

Scanſio.

Cœl'il -- la ſpecies-*vv* undique ful-*vv* gida *vv*
Diſtin--ctiſque ſuis-*vv*-ſyderibus-*vv*-decor *vv*
Prodũt -- quant'opifex-*vv* - ſit ſapien-*vv* tia *vv*
Quanta - - magnifi - *vv* centia - *vv*.

Glyconici tres uerſus conſtantes primo loco

tam

tam iambo,uel trochęo,quàm ſpondeo, & duobus dactylis, uel choriambico, & pirrhychio, præpoſiti uni Pherecratio,qui primo pede ſpõdeo conſtat,iambo uel trochæo,ſecundo dactylo, & tertio ſpondeo.

Paradigma.

Dianæ ſumus infide,
Puellę,& pueri integri:
Dianę pueri integri,
Paellæque canamus.

Scanſio.

Dia υ - næ ſumus - υυ infide - υυ
Puel - υ l' & pue - υυ r' integri - υ υ
Dia υ - næ pue - υ υ r' integri - υ υ
Puel υ - læque ca - υ υ namus - -

Anacreontij dimetri catalectici, tres uerſus conſtantes anapæſto, duobus iambis & ſyllabę pręponuntur uni choriambico tetrametro Sapphico,conſtanti tribus choriambis, & bacchio, uel amphibracho.

Paradigma.

Age cuncta nuptiali
Redimita uere tellus
Celebra thoros heriles.
Omne nemus cum fluuijs,
Omne canat profundum.

Scan-

Scansio.

Age cum υ υ - cta nu υ - ptia υ - li -
Omne nemus - υ υ - cum fluuijs - υ υ -
Omne canat - υ υ - profundum υ - -

Dicola pentastropha

Glyconici quatuor constantes in prima regione trochæo, & rarissimè spondeo, in secunda choriambo, in tertia pyrrichio, uel in secunda & tertia regione dactylis duobus, præponuntur uni Pherecratio, cuius primus pes est trochæus, uel spondæus, aut iambus, secundus dactylus, tertius autem spondæus.

Paradigma.

Collis ò Heliconij
Cultor Vraniæ genus,
Qui rapis teneram ad uirum
Virginem, ò hymenęe hymen,
O hymen hymenęe.

Scansio.

Collis - υ ò helico - υ υ - nij υ -
Cultor - υ Vranię - υ υ - genus υ υ
Qui ra - υ pis tener' ad - υυ - uirum υ υ
Virgi - υ n' ò hymenæ' - υ υ - hymen υ υ
O hy - υ men hyme - υ υ næe - -

Tricola tristropha.

Tricola tristropha tres uersus diuersos conti-
nent,

nent,& post tertium ad primum genus reuertimur. Cuius generis est Glyconicum, cui succedunt Asclepiadæum carmen & Alcaicum, quod spondeo constat, tribus choriambis & pirrhychio. *Paradigma.*

Magna est indubiè Dei.
Nostri gloria, lausque innumerabilis.
Decantanda sacris carminibus maxime ab omnibus. *Scansio.*

Magn'est - - indubi - *υυ* è Dei - *υ*-
Nostri - - gloria lauf - *υυ* - qu'innumera - *υυ* - bilis *υυ*
Decan - - tanda sacris - *υυ* - carminibus - *υυ* - maxim'ab om - *υυ* nibus *υυ*

Tricola tetrastropha.

Tricola tetrastropha carmina sunt ex tribus diuersis generibus, ubi post quartum quemque uersum ad primum genus reuertimur. Huius generis sunt primi duo uersus Asclepiadæi. tertius Pherecratius Heroïcus trimeter catalecticus, quartus Glyconicus.

Paradigma.

Ne me summe Deus uindice dextera.
Iratove animo durius, obsecro,
Castiga, quis enim te, aut
Iram ferre tuam queat?

Scansio.

Scansio.

Ne me--summe Deus ∪∪-vindice dex-∪∪-
tera ∪∪
Ira -- to v'animo -∪∪- durius ob -∪∪- secro ∪∪
Casti -- ga:quis e ∪∪ nim t'aut --
Iram -- ferre tu -∪∪ am queat- ∪∪

Dactylici uersus duo trimetri Alcaici, qui constant penthemimeri iambica, id est, iambo, uel spondeo, deinde iambo & syllaba, reliqui duo pedes sunt dactyli. Tertius versus est iambicus dimeter hypercatalecticus, abundans syllaba super dimetrum communem: Quartus est dactilicus Alemanius, tetrameter constans duobus primis pedibus dactylis, & duobus alijs trocheis.

Paradigma.

Exaudiat te ò rex Deus optimus.
Duro atque atroci tempore protegat,
Teque in loco securo & alto
Collocet illa Dei uerenda.

Scansio.

Exau--diat ∪- t'ò - rex Deus - ∪∪ optimus -∪∪
Dur'at -- qu'atro ∪ - ci - tempore - ∪∪ prote-
- gat - ∪∪
Te qu'in -- loco ∪ - secu -- r'& al ∪- to-
Collocet-∪∪ illa De -∪∪ i ve - ∪renda - ∪.

De ratione comicorum uersuum.

Comici Latini multam libertatem sibi usurparunt in uersibus, ait Erasmus, sed nemo largius Terentio: adeò ut apud priscos quoq; fuerint qui iudicarent in huius fabulis nullam esse carminum legem. Quod ab ipso Terẽtio studio factum uidetur, ut dissimulato carmine, quàm proxime accederet ad orationem solutam: sed profectò manifestius est Terentij Comœdias uersibus constare, quàm ut probatione indigeat. Constant autem aut iambicis, aut trochaicis uersibus: de quorum ratione & mẽsura iam satis ample dictum est, sed de eorum licentia & libertate postea fusiùs, ubi priùs ad notauero iãbicos, & trochaicos uersus, aut monometros esse, aut dimetros, aut trimetros, aut tetrametros. Monometri unam habent mensuram, hoc est pedes duos: duas dimetri: tres trimetri, hoc est pedes sex, unde à Latinis Senarij dicti sunt: Tetrametri quatuor: hoc est, pedes octo: qui & Octonarij à Latinis, & quadrati, & longissimi dicuntur.

Porrò ex his quidam iustæ sunt mensuræ, & ij acatalectici uocantur: quidam iniustæ, idque modis duobus accidit: aut enim iusto syllaba minores sunt, & id bifariàm: aut unius duntaxat

taxat syllabę, & catalectici uocantur: aut duarum, & brachicatalectici nominantur: aut maiores, & hypercatalectici nuncupantur.

Catalecticus igitur, est cui una deest sylla ba: Brachicatalecticus, cui duę aut plenus pes deest. Hypercatalecticus, cui syllaba abundat. Acatalecticus, cui superest, aut deest nihil.

Trochaici, quia trochæus in breuem finitur, frequentiùs sunt catalectici, quàm acatalectici. Iambici contra. Inter quos, dico iambicos tetrametros acatalecticos, & trochaicos tetrametros catalecticos, tanta est affinitas, ut interdum nihil referat eundem uersum vtrum per iambos, an per trochęos metiaris. Illud tamen ubique cauetur, ne uel trochęus ingrediatur iambicum carmen, vel iambus trochęum.

Paradigma.

Vtinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me pręcipitem darem.

Si mihi facias vnicam syllabam, trochaicus est catalecticus: si duas, iãbicus est catalecticus.

Scansio trochaici catalectici.

Vtinam *uu* - m'esset - *u* aliquid *uuu* hic quo --
nunc me -- pręcipit - *uu* tem da - *u* rem -

*Scansio iambici acata-
lectici.*

Vtinam υ υ- mih'es υ- set ali υυυ quid hic υ-
quo nũc -- me prę - - cipitem υυ- darem υ-

Iambicorum à monometris ad usque tetrametra generalis formula ex Glareano, de qua quinque species asteriscis notatę.

Monocola catalectica.

Musę - - deę υ-

Monocola hypercatalectica*.

Musę -- deę υ- sunt -

Dimetra brachicatalectica.*

Musę -- deę υ- bonę υ -

Dimetra catalectica.

Musę -- deę υ- soro υ- res-

Dimetra acatalectica.

Musę -- Iouis υ- sunt fi -- lię υ-

Dimetra hypercatalectica.

Musę -- soro υ- res sunt -- Minèr υ- uę -

Dimetra brachycatalectica.

Musę - - bonę υ- sunt fi -- lię υ- Iouis υ -

Trimetra catalectica.

Musę -- bonę υ- musę - - deę υ- soro υ - res -

Trimetra acatalectica.

Musę - - deę υ - sunt fi -- lię υ- summi - - Io-
uis υ-

Trime-

Trimetra hypercatalectica.

Musæ -- Iouis υ - gnatæ -- soro υ - res & --
Miner υ - uæ -

Tetrametra hypercatalectica.

Musæ -- bonę υ - deę υ - soro υ - res fi -- lię υ -
Iouis υ -

Tetrametra acatalectica.

Musę -- bonę υ - sunt fi -- lię υ - summi -- Io-
uis υ - soro υ - res -

Tetrametra acatalectica.

Musę -- bonę υ - deę υ - soro υ - res fi -- lię υ -
summi -- Iouis υ -

Trochaicorum eadem ratione formula, tribus spe ciebus asteriscis pernotatis.

Monocola catalectica.

Occi υ - di -

Monocola acatalectica.

Musę - υ dulcis - υ

Monocola hypercatalectica.

Musa - υ dulcis - υ est -

Dimetra brachycatalectica.

Musa - υ dulcis - υ esto - υ

Dimetra catalectica.

Musa - υ dulcis - υ est ci - υ bus -

Dimetra acatalectica.

Musa - υ dulcis - υ est Ma - υ ronis - υ

Dimetra hypercatalectica.

Musa - υ dulcis - υ est Ho - υ rati - υ j -

Trimetra brachycatalectica.

Musa - υ dulcis - υ est Ho - υ rati - υ ana - υ

Trimetra catalectica.

Musa - υ dulcis - υ est in - υ omni - υbus lo - υcis -

Trimetra acatalectica.

Musa - υ dulcis - υ est in - υ oï - υbus po - υetis - υ

Trimetra hypercatalectica.

Musa - υ dulcis - υ est in - υ omni - υ bus so - υ
dali - υ bus -

Tetrametra brachycatalectica.

Musa - υ dulcis - υ est in - υ hac no -- stra so - υ
dali - υ tate - υ

Tetrametra catalectica.

Musa - υ dulcis - υ est in - υ omni - υ bus so - υ
dali - υ tati - υ bus -

Trimetra acatalectica.

Facit ut υ υ - iussi -- dedu - - cantur - υ isti - υ
faciant υυ - dili - υ genter - υ

Triplex carminis iambici trimetri ratio, ex qua deinde aliorum quoq; facilè elicietur: fuit itaque initio carmen iambicum ex meris iambis, ad hanc formam.

Prima

Prima & simplicissima iambici carminis formula.

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Iãbus.	iambus.	iambus.	iãbus.	iambus.	iambus.
Suis υ-	& ip υ-	sa Ro υ-	ma vi υ-	ribus υ	ruitυ.

Deinde acceptus est tribrachys (excepto vltimo loco) & paulatim locis duntaxat imparibus spondeus, anapæstus, & dactylus, & rariùs proceleusmaticus, ad hanc formam.

Communis iambici carminis formula.

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Iãbus.	iãbus.	iãbus.	iãbus.	iãbus.	iãbus.
Tribr.	tribr.	tribr.	tribr.	tribr.	tribr.
Spondæus.		spondæus.		spondæus.	
Dactylus.		dactylus.		dactylus.	
Anapæstus.		anapæstus		anapæstus.	
Proceleusm.		proceleusm.		proceleusm.	

Ibis-- Libur υ- næ inυ ter al υ- ta na υ- uiũ υ--

Licentiosissima iambici carminis formula.

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Iābus.	iābus.	iābus.	iābus.	iābus.	iābus.
Tribr.	tribr.	tribr.	tribr.	tribr.	tribr.
Spond.	ſpond.	ſpond.	ſpond.	ſpond.	pyrrhich.
Anapæſt.	anapæſt.	anapæſt.	anapæſt.	anapæſt.	
Dactyl.	dactyl.	dactyl.	dactyl.	dactyl.	
Proceleus.	ꝓceleuſ.	ꝓceleuſ.	ꝓceleuſ.	ꝓceleuſ.	
Creticus.	creticus.	creticus.	creticus.	creticus.	
Amphib.	amphib.	amphib.	amphib.	amphib.	
Pæan.	pæan.	pæan.	pæan.	pæan.	pæan.
Bacch.	bacch.	bacch.	bacch.	bacch.	

Non inficiabor in uerſibus iambicis trimetris dactylum,aut ſpondeum ultima ſede nonnunquam recipi: ſed id tantum inter Scazontes,in quorum penultima iambus locum hēt neceſſario,ſed eo genere raro utuntur Comici.

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Apolu-	linau-	rē con--	ueniu-	meumu-	Scazon--

Vides in ſexta ſede ſpondeū,& iābū in quinta.

Cautiones quædam in componendis uersibus non iniucundæ.

Potissimum censetur Heroicum carmen in quo duo adiectiua duobus substantiuis præponantur, ubi prius priori respondet: ut Lurida terribiles miscent aconita nouercæ. Heroicum clauditur pulchrè, vel dissyllaba, uel trisyllaba dictione: durius autem tetrasyllaba, aut pentasyllaba. Durissimè verò monosyllaba, nisi enclitica sit. In subitanea re insurgunt canore quinque dactyli continui: ut, Panditur intereà domus omnipotentis olympi.

Vbi rei grauitas & maiestas significatur, aut languor, etiam spondeus quintum locum tenet: vti de Sinone maximam tristitiam, & languorem simulante, Vergil. Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit.

Nonnunquã pulcherrimum fuerit egregiã aliquam sententiam unico uersu claudere: ut, Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Venustam etiã fuerit repetere aliquando dictionẽ, modo odiosa affectatio uitetur: ut, Sequitur pulcherrimus Astur. Astur equo fidens, Item, Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra Iouemque.
Concilias, tu das epulis accumbere diuum.

Hexa-

Hexameter uersus pentametro appositus facit carmen elegiacum: ut,

Fortunam reuerenter habe, quicunque repēte.
Diues ab exili progrediere loco.

De carminis pētametri decoro nihil habeo. nisi quod tertius pes spondeus esse debet ex fine dictionis unius & principio alterius conflatus: ut,

Nil mihi rescribas, attamen ipse ueni.
bas at- - spondeus est.

Ex dictione unica durè admodū conficitur. Catul. Speraret nec linguā esse, nec auriculam.

Definit Pentametrum uenustissime in dictionem dissyllabam: nec male in tetrasyllabā, pentasyllabamve: interim etiam in hexasyllabam: Duriter autem in trisyllabam, & durissimè in monosyllabam, nisi enclitica sit: aut monosyllaba præcedat monosyllabam.

Quorum omnium exempla ex Poetarum lectione facilius colliguntur.

De collisione in metris.

Collisio est ultimæ syllabæ dictionis propter sequentem uocalem absorptio: cuius quidem duę sunt species, Ecchlipsis & Synalæpha.

Ecchlipsis est m, literæ cum sua uocali detractio: vt,

Quan-

Quantum ois mundus gaudet cātante Sileno,
Quod sic metimur.
Quant'om -- nis mun -- dus gau -- &c.
Quæ figura frequens est apud Terentium, quoties,m,cum uocali pręcedente excluditur.
Sinalœpha fit cum de fine dictionis uocalis abijcitur sequente dictione, quę incipit à uocali:ut Iuuenalis.
Semper ego auditor tantum?nunquamve reponam?Sic metire.
Semper e - uu g'audi -- tor tan -- &c.
De quibus,ut de Sinæresi, & Diæresi inter figuras poemati frequentes posteà.Fit quoque collisio in fine carminis Hypermetri, quando ipsum in uocalem desinit, & superfluam syllabam,& sequens à uocali incipit:superabundās enim tum syllaba eliditur:Virgilius.
Aerea, cui gradibus surgebant lumina nexæq;
Aerę trabes.
Interdum autem prior uocalis per aliam sequentem non eliditur, sed tantùm fit breuis, quæ alioqui longa fuerat.Virgil.
Et longum formose uale, uale inquit, Iola.
Sed tamen uocalis quādoque inuenitur producta.Virgilius.
Stant & iuniperi,& castaneæ hirsutæ.

O,&

O,& heu ante uocales itegræ manēt,ut Hora.
O, & præsidium & dulce decus meum. Virg.
Te Coridon ò Alexi, trahit sua quemque vo
lupras. Ouidius.
Heu ubi pacta fides?ubi quæ iurare solebas?
Sinalœpha fit nonnunquam in eadem di
ctione. Propertius.
Eosdem habuit secū,quibus est elata, capillos.
ubi eosdem spondeum conficit.
Apud antiquos S, cōsonans interdum sola sub
trahebatur. Lucretius.
Arboribus ueteres decidere falcibus ramos.
Quandoque cum sua uocali. Virgilius.
Inter se coijsse uiros,& decernere ferro.
Vtapud Comicos frequenter apud quos,L,
interdum eliditur, ut in prima Scæna Andriæ.
Pro uxore habere hanc peregrinam ego il-
lud sedulo: ut grinam ego il, faciant dacty-
lum.
Frequenter etiam eliditur, D, in quid, &
sed præ uocali,in Eunuch.
Quid intereſt hoc adeo, &c. Quid inter tro-
chæum facit.
Et V, etiam consonans: ac si vocalis esset: vt,
Sine inuidia laudē inuenias & amicos pares.
Quod & in Enimuero sæpe fieri uidemus.

Synæresis.

Synęresis est syllabarum duarum naturaliter diuisarum in unam contractio: Virgilius, Cui pende're sua patereris in arbore poma·ubi Cui pen -- spondeum facit: ut apud Comicos. Seruibas, pro seruiebas: Scibas, pro sciebas.

Apud quos etiam contrahuntur uocales: uelut in his fuit, deos, dies, meus, suus, scias, nihil, mihi, ut sint monosyllaba.

Similiter, ei, eius, huius, cuius, monosyllaba ponuntur subinde: eorum, meorum, antehac, dissyllaba.

Diæresis.

Dięresis, unius est syllabę in duas diuisio. Oui. Nunc quoque te dixi persoluenda mihi: pro, persoluenda quadrisyllabo. Qua figura utuntur Comici identidem, qui, iam dissyllabum faciunt: ut Catullus, soluit: Horatius, syluę: Statius suasit trisyllaba.

Quos pedes illegitimos recipiat Heroicus uersus.

Pręter legitimos pedes dactylum scilicet, & spondeũ, quos sine discrimine quatuor primis sedibus uersus heroicus habet, quinta spōdeũ, & sexta dactylum: nothos etiam & illegitimos nonnunquam admittit, idque per poeticam licentiam, quam puer, ut raram admodum, rarò imitari

imitari conabitur. itaque Poetæ in quinta regione sæpe spondeū locant: ubi id grauitas, aut languor postulat, ut prædictū est. Quandoque sexto loco dactylus admittitur, sed uix nisi hypermeter locum habeat. Cuius ultima absorbetur initio sequentis uersus: ut cum in m, desinit, aut in uocalem, & sequens à uocali initium habet. Virgilius.

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humoré,
(sequitur) Et folijs undam. idem.
Inseritur uero ex fœtu nucis arbutus horrida,
(sequitur) Et steriles platani.

Reperiuntur & alij pedes in diuersis locis Hexametri: iambus, Virgilius.

Dona dehinc auro grauia v - sectoq; Elephāto.
Anapæstus, idem.
Fluuiorū rex Eridanus, camposq́ue per omnes.
Proceleusmaticus. Virgilius.
Tytire pascentes à flumine, reice capellas. Nisi Cæsuræ licentia esse velis.

Cæsura & eius species.

Est aūt Cæsura, decora uocū terminatio in medio uersuū notata: cuius quatuor sunt species. Pēthemimeris, quæ fit ubi post duos pedes manet syllaba partem orationis finiens. Virgilius.

Omnia uincit amor, v - & nos cedamus amori.

Vbi mor syllaba etiam natura breuis, licenter producitur,ne quis dicat iambum esse.

Heptemimeris,cum post tres pedes inuenitur syllaba,quæ dictionem terminet:vt, Arma,virumque cano,Troiæ:

Trochaica est,quū post duos pedes Trochę⁹ partē orationis perficit:ut,Nil nostri miserere.

Bucolica,ubi quartus pes dactylus est partē orationis finiens:vt,

Nos patriæ fines,& dulcia linquimus arua.

Vltima carminis indifferens.

Vltima syllaba cuiuscunque uersus est anceps:itaque ultima carminis Heroici, Lyrici, aut etiam Comici longa sit,an breuis, nullum discrimen habetur.

Nunc igitur restat,ut speciales quoq; regulas,quàm breuissime fieri poterit elucidemus, nihil penitus omittentes,quantū fragilitas humana finit, quod ad carminis utilitatem pertinere uideatur:Quamuis non dubitem adhuc deesse nonnulla mihi,& multò diligentioribus incognita:quis enim,vel Momus in tanta re nō aliquando cæcutiat? Verùm quia laudabile est aliquo prodire tenus, si non datur ultra, quod bene, & fœliciter cœptum est, in communem iuuenum utilitatem prosequi non verebimur.

PAN-

PANTALEONTIS BARTELONAEI RAVERINI

In Prosodiæ speciales regulas.

EPITOME.

A, ante b, in primis.

A, ante b, in primis breuiatur: ut Faber, Strabo.

Exceptio.

Crabro, insecti genus.
Fabula, id est, fictus sermo.
Fabrateria, oppidum.
Labes, macula.
Nabis, proprium uiri.
Pabulum, sic pabulor, aris.
Sabus, Sancti filius: sic Sabini.
Sabatius.
Scabidus, habens scabiem.
Tabraca, viri nomen.
Trabigillus, uiri proprium.
Tabeo, id est, sordeo. sic tabes, & tabum.

Variatio.

Abel,uiri proprium.
Fabella,modica fabula.
Flabellum,quo uentum faciunt.
Labo, repente cado.
Labicum,Italiæ oppidum.
Labicus, Labica,propria.
Laban,proprium.

Adnotatio.

1 Labor,oris, nomen, breuiatur.
Labor,eris, uerbum longatur.
2 Sabura, uiri nomen producitur.
Saburra,grandior arena, corripitur.

Submonitio.

Fac sedulo ubique geminata notes, ut Sabbatum,& crescentia,ut Stabam, Flabam.

A, ante C.

A,ante c, in primis corripitur, ut Acedia, Acipenser,Macer, Maceries.

Exceptio.

Achar, uiri proprium.
Aculeus, spiculum.
Cacabus,olla.
Cacabo, proprium perdicum.
Cacula,pedisequus.
Dacus, populus,sic Daciā.

Facundia, eloquentia, sic facundus.
Graccus, & graculus, auis.
Glacila.
Glacito, est anserum.
Glacinia.
Machina, grandis fabrica.
Maccezer, proprium uiri.
Macertes, macero, & maceror.
Naca, fluuius.
Racipalis, uiri nomen.
Thracia, uel Thrace, regio.
Thracia, uel cis, oppidum.
Vacienus, uiri proprium.
Vacia, quæ crura reflexa habet.
Zacharias, proprium.

Quę habent B, uel P, ante A, ut Brachium.

Placo, paco.
Exceptis Baculus, uel lum, fustis.
Brachys, Latine breuis, unde brachilogia, id est, breuiloquium.
Placeo.
Placentia oppidum, unde Placentinus.
Pacorus, Rex Parthorum.
Pachinus.
Paciscor, pactum facio.
Spacium, distantia, intercapedo.

Variatio.

Variatio.

Acis,idis,fluuij, & uiri nomen.
Academia, uicus & schola.
Cacus,uiri proprium.
Hyacinthus,flos,& gemma.
Macero,id est,affligo.
Pachinus,promontorium.
Vacillo,id est,titubo.

Adnotatio.

Acer,eris,arbor,priorem breuiat.
Acer,cris, id est,uehemens, eandem producit.
2 Daca,Orientis populus, corripit priorem.
Daca,ad Daciani pertinens, producit eandem.

A, ante D.

A,ante D,in primis breuiatur,ut Madeo,es, Spado, onis, Hadria,ę.

Exceptio.

Caducum, hinc caducifer & caduceator.
Cadusi, populi.
Clades,occisio.
Fædus,proprium uiri.
Gades,insulæ.
Gadir,urbs & insula.
Gadilon, mercantia quædam.
Gladis, tellus quædam.
Ladas,æ,nomen equi.

Ladon,uir,canis,& fluuius.
Quadi,populi.
Radix,icis.
Rado,is.
Suadeo,es,id eſt, hortor.
Suadela, dea eloquentiæ.
Spadix, auulſus a palma termes.
Trado,Traduco,cis.

Variatio.

Adam,proprium uiri.
Adon,onis,proprium etiam.
Gradiuus, deus belli.

Adnotatio.

1 Cadus,uas corripitur.
Gadus,populus producitur.
2 Vado,is,id eſt,eo is, priorem longat.
Vado,as,id eſt,ad uadum quodpiam duco, ea dem corripit; ſic & Vadum uadi.

A, ante F.

A,ante f, in primis, corripitur : ut, Afranius, Vafer. *Submonitio.*

Quę excipienda uiderentur, per ph ſcribuntur: ut,Sapphyrus,Sappho.

A, ante G.

A,ante g,in primis, breuiatur : ut, Ago, agis: Tagus,tagi.

Exceptio.

Agalma, Latinè statua.
Agea duarum urbium nomen.
Agis, idis, nomen regis.
Bagrada, fluuius Germaniæ.
Lagon, pueri nomen.
Lagopus, auis.
Lagus, Rex Aegypti.
Magalia, domus pastorum.
Mago, onis, frater Hannibalis.
Ragonia, canis pastoris.
Tragula, id est, hasta.
Tragitia, id est, insula.
Tragema, atis, bellaria.
Tragurus, id est, piscis.
Vagina, theca. Vagio, sic uagitus.

Item quæ habent f, aut p, ante a, producuntur, ut Lagus, Flagitium, Pagina, Pagus.

Exceptis tamen, Flagellum, Fragilis, Fragor, Pagasa, oppidum.

Adnotatio.

1 Saga, gæ, uenefica mulier, longatur, hinc Sagio, unde Præsagio.
2 Sagax, acis, id est, subtilis, corripitur.
Sagum, gi, uestimentum, breuiatur etiam.
3 Plaga, rete uel regio, corripitur.

Plaga,uulnus, producitur.
4 Laganum, gentis cibi,primam longat.
Lachanum,quodcunque genus oleris, eandem breuiat.

A,ante L.

A,ante L, in diſſylabis longatur,ut Balo,Talis.

Exceptio.

Tales,Talium, oppidum.
Falæ,arum,turres ligneæ.
Falum , fali , idem.
Halys,fluuius, & uir.
Halos, Athamantis domicilium.
Palam,id eſt,manifeſte.
Palin , Latinè contrario , unde palinodia , recantatio.
Pales , dea , hinc Palilia.
Salum,mare.
Nomina tertiæ in genitiuo creſcentia, ut Salix, ſalus,Phalanx.
Exceptis Ales,auis, aut uelox.
Halec,piſcis, aut garum.

Adnotatio.

1 Halo,halas , id eſt , redoleo , producit priorem , unde Halitus.
Alo, is, id eſt,nutrio,priorem corripit.
2 Talus , uel los,proprium uiri,breuiatur.

Talus,

Talus,appellatiuum longatur.
3 Calix,uas priorem breuiat.
Calyx,pro follyculo, eandem longat.
4 Calo,onis,id eſt,baiulus,longat priorem.
Calo,as.id eſt, uoco, eandem corripit.
5 Malus,arbor,mala,id eſt, maxilla.
Malum, fructus, priorem longat.
Malus,a,um, adiectiuum, corripit eandem.

A, ante L, in polyſyllabis.

A, ante L,in polyſyllabis breuiatur,ut Phalaris.
Alius, a, ud, Thaleia.

Exceptio.

Alea,genus ludi.
Alecto,tus,una furiarum.
Aliphe,oppidum, ſic Aliphanus.
Aledius, proprium.
Aloporea,inſula.
Balæna, id eſt, piſcis.
Caligo, ginis, obſcuritas.
Caliſto, Lycaonis filia.
Calatia, oppidum Campaniæ.
Caluſtrutiæ, arum, commixtiones herbarum.
Dalila, alij Dalida.
Haloboca, urbs.
Laletania, prouincia.

Malabatrum,unguentum.
Phalarna,piscis.
Qualea,auis.
Salustius,proprium.
Salentium,promontorium,hinc Salentinus lacus,& Salentini, populi.
Scalena,compactio herbarum.
Squaleo,es,obfuscor.
Thalea,putamen lignorum.
Talio,pœna similis.
Taleon,proprium.

Variatio.

Palatium,regiæ.
Palatinus,a,um.

Adnotatio.

1 Caligo,as,neutrum,id est, obscuror, producitur.
Caligo, as, actiuum,id est,caligas induo,corripitur.
Calleo, es, obduresco & scio, longatur, hinc Callidus,id est,astutus.
Caleo,id est, calorem patior,breuiatur, sic Calidus,da,dum.

A,ante M, in dissyllabis.

A,ante M, in dissyllabis produc, ut Amen, Fama, unde Infamis,& Diffamo.

Exceptio.

Exceptio.

Camers, uir & populus.
Chlamys,mantellum uulgo dicunt.
Fames,esuries.
Lamus,proprium.
Samos,insula.
Same,insula & urbs.Tamen.
Thamos,nympha.
Tama,oppidi nomen.

Adnotatio.

Ame,pro diligo,corripitur.
Hamo, pro capio, producitur.

A, ante M,in polysyllabis.

A,ante M, in polysyllabis breuiatur,ut Caminus,Famulus,Amussis.

Exceptio.

Amentum,lorum,quod iaculo adnectitur, sic Amento,as,id est,circundo, uel iacior.
Amianus,proprium.
Bamura,urbs Africæ.
Camonica.
Dametas, proprium.
Damipus.
Hamerochita,oppidum Græciç.
Lamentum,sic Lamentor.
Lamina, frustum metalli.

Mamercus,

Mamercus, ſuperbiæ amator.
Mamertini, populi Campaniæ.
Mamurius, proprium uiri.
Mamurianus, proprium etiam.
Mamurra, ſic Mamurrus, propria.

Variatio.

Amineum, oppidum & mons.
Samaria, regio.

Submonitio.

Deriuata à pino, id est, poto, ut Symposiū, Symposiarcha, &c.

O, ante t.

O, ante t, in mediis producitur, ut Lithostrotos, Deltotum, Ægrotus, Viota.

Exceptio.

Composita à dotos, id est, datus, ut Andotus, Antidoton, &c.

Deriuata à pino, id est, poto, ut, Sympotes, Oenopotes, &c.

Composita à notus, id est, uentus, ut, Bellonotus, Euronotus, &c.

Abrotonum, herba.
Acrota, uiri nomen.
Coprotinus, id est, stercorarius.
Deiotarus, princeps.
Golgota, Hippodotes.
Mesopotamia.
Onocrotalus.
Odotheus.
Sibotes, viri nomen.

Submonitio.

Complura ad hanc regulam pertinent, quæ o, in fine prioris partis compositionis habent,

&

& ex generali facile innotescunt, ut, Zelotypus, Timotheus, &c.

O, ante u.

O, ante u, in medijs breuiatur, ut, Genouesa, Ludouicus. *Variatio.*

Controuersia.

V, ante consonantes in medijs.

V, ante b.

V, ante b, in medijs breuiatur, ut, Lucubris, Cornubus, Titubo.

Exceptio.

Ambubage, tibicina.
Anubis, is, uel idis.
Corruba, herba. Saluber.
Insuber, id est, fluuius.
Solubilis, & hoc solubile,
Volubilis, & hoc uolubile.

Submonitio.

Memineris dictionum, quarum prius te cómonefecimus, ut, Connubium, quod uariatur, & Pronubus, Innubus, quę corripiuntur.

V, ante c.

V, ante c, in mediis longatur, ut, Sambucus, Manduco, Fiducia, Festuca.

Exceptio.

Bardocuculus.

Volucer,

Volucer,cris,tam fixum,quàm mobile.

Adnotatio.

Educo, as,primæ coniugationis, mediam corripit.

Educo,is,tertiæ,eandem producit.

Submonitio.

Petucius,Enucleo corripiuntur: ut à breuibus deducta.

V, ante d.

V, ante d, in medijs,producitur: ut, Testudo, Palludo,Consuetudo.

Exceptio.

Dryude,aut Druidæ.

Submonitio.

Notentur è breuibus deducta, ut, Dispudet, Repudium, Erudo, Erudio,Contudi, & id genus.

V, ante f.

V,ante f,in medijs corripitur: ut Carnufex, Lanuficium.

Submonitio.

Hæc per i,nunc proferuntur,olim per u: Carnifex,Lanificium.

V, ante g.

V, ante g,in medijs longatur: ut, Lanugo, Salsugo,Ærugo.

Submonitio.

E breuibns deducta, simplicis quantitatem habent, ut Coniugium.

Coniugo, as.

V, ante L.

V, ante l, in medijs breuiatur, ut, Figulus, Singulus, a, um, Oculus, Calculus.

Exceptio.

Excipiuntur deriuata in ulis, ut, Triaulis, Edulis, &c.

Deriuata in ulium, ut, Furfulium, Paretulium, &c.

Composita a dulos, id est, seruus, ut, Philodulus, Hierodulia, &c.

Aculeolus.

Apulia, regio.

Amulius, uiri nomen.

Adulor, olim Adulo. as.

Adulescens, olim Adolescens.

Betulia, regio.

Epulis, tumor.

Getulia, sic Getulus.

Iulius, qui & Ascanius.

Peculium, hinc Peculiaris.

Portulaca.

Parulis, tumor.

Tramulius, uiri nomen.

Variantur, Cuculus, Torcular, Zabulones.

V, ante M.

V, ante m, in medijs producitur, ut, Argumentum, Legumen, Acumen, Volumen.

Exceptio.

Nomina in mentum, a uerbis secundæ, ut, Documentum, Monumentum.

Autumo, existimo.

Columella, tam proprium, quàm appellatiuũ.

Columen, hinc Incolumis.

Cucuma, uas.

Cucumis, uel mer.

Crustumium, hinc Crustumia, Crustumerum, & Crustumeri.

Emolumentum, utilitas.

Irrumo, as.

Lacumo, sic Lucumeni, & Lucumones.

Partumeus, puer.

Posthumus, sic Posthumianus, Posthumius.

Submonitio.

Memineris antiquorum, quæ u, pro i, habebant, ut, Decumus, pro decimus, & a breuibus deductorum, ut a Tumeo, Contumax, & Contumelia.

V, ante

V, ante N.

V,ante n,in medijs longatur,ut Lacuna,Lacunar,Tribunus,Ieiuno,Fortuna.

Exceptio.

Albunea,mons,& fons.
Albunecar,rex Hyberniæ.

V, ante P.

V,ante p,in medijs corripitur,ut, Decuplũ, Nuncupo,Quadruplus.

Exceptio.

Arupinus,populi nomen.
Erigdupus,nomen uiri.
Marſupium.

V, ante R.

V,ante r, in medijs corripitur,ut,Iturei,Hetruria, Penuria.

Exceptio.

Anxurus,Iuppiter.
Aniuratus,populus.
Arcurius.
Bituriges,uel Biturigi,populi.
Cammurus,id eſt,currus.
Centurippe,oppidum.
Centuria,ſic Centurio, onis.
Decurio,princeps.
Læmures,uiſiones quædam.

Liguria, ſic Ligurinus.
Mercurius, deus.
Salubra, uiri nomen.
Palphurius, uiri nomen.
Purpura, piſcis.
Satura, oppidum.
Satureia, herba.
Saturo, as, ſic Satur, ſaturi.
Saturius, nomen uiri.
Saturio.
Tugurium.
Vulturius, ſic uulturis.
Verba in rio, & quicquid inde eſt, ut,
Eſurio, Luxurio, ſic Luxuria.
Præter, Scaturio, is.
Cucurio, is, Ligurio.
Variantur.
Manurius, proprium uiri.
Maſurius, Iuriſconſultus.
V, ante S.
V, ante s, in medijs longatur, ut, Meduſa, Creuſa, Arethuſa.
Exceptio.
Blanduſia, regiuncula.
Brunduſium, oppidum Italiæ.
Canuſium, oppidum.

Caduſij.
Peruſinus,a,um.
Voluſius.
Voluſus,uiri nomen.
Variantur, Hieruſalem, Venuſinus.

Adnotatio.

Ebuſus,uiri nomen corripitur.
Ebuſus,inſula,uariatur.

V, ante T.

V,ante t,in medijs producitur, ut, Præputium, Argutus, & compoſita a Futo, ut Confuto, Refuto.

Exceptio.

Arbutus,unde & Arbuteus,a,um.
Caliſtrutia,herba.
Defrutum.
Diuturnus.
Minutius,uiri nomen.

V, ante V.

V,ante u,in medijs corripitur, ut Veſuuius, Lanuuius, Exuuiæ, Ingluuies, Diluuium.

FINALIVM SYLLABARVM QVANTITAS.

A, finale.

A In fine dictionis casualis, corripitur, ut, Dogma, Arma, Musa, sic Planeta, Medea.

Exceptio.

1 Producuntur ablatiui undequaque ueniãt, ut, ab hoc Andrea, Anchisa, ab hac Musa, Cythara.

2 Vocatiui nominum, quę in as exeunt, ut ò Athla, ò Thoma, ò Aenea.

3 Mna monosyllabum cuiuscũque casus etiã producitur.

A, in fine dictionis non casualis, producitur, ut Aedifica, Frustra, Præterea, Citra, Haba.

Exceptio.

Excipiuntur, Ita, Quia, Eia, quæ breuiantur.

Variatio.

Contrà, Posteà, Vltrà, & numerabilia in ginta, uariantur.

Adnota-

Adnotatio.

Puta uerbum,id eſt,cogita, ultimã longat. Puta aduerbium,id eſt,certè, eandem corripit.

E, finale in Nominibus.

E, finale in nominibus,breuiatur, ut Chriſte, Hercule, Vlyſſe, ſic in pronominibus, ut, Ille,Iſte,Ipſe.

Et participijs,ut uocatiuus,ò Lecture,ò Legende.

Exceptio.

1 Quæ ſunt primæ declinationis,in quocunq. caſu,e producunt, ut, Nominatiuus Grammatice,Genitiuus, & datiuus, Virgæ, Vocatiuus & Ablatiuus, ò Manaſſe, Pluraliter nominatiuus & uocatiuus,Puellæ,Beſtiæ, Situlæ.

2 Item quæ ſunt inflexionis quintę, e ablatiui producunt,cum compoſitis eorum aduerbijs,ut,Spetie, Die,Re,ſic Quare, hodie, pridie,poſtridie.

3 Et quæ pluralia tantum ſunt in e, ut, Tempe, Cete.

Variatio.

Fames quia olim quintę inflexionis fuit, nunc tertiæ, e commune tenet.

E, finale in uerbis.

E, in fine cuiuslibet uerbi, corripitur, ut,

Amate, Docere, Lege, Auditote.

Exceptio.

E, finale in secunda persona imperatiui modi temporis pręsentis, numeri singularis, coniugationis secundæ producitur, ut, Vide, Stude, Tace, Doce.

Submonitio.

Non desunt quędam uerba nunc secundæ, quæ olim tertiæ fuęrunt, unde e finale huiusmodi cõmune apud Poetas inuenire est, quos imitari poteris, modo in opere non absimili.

E, finale in aduerbijs.

E, finale in aduerbijs ab adiectiuis declinationis secundæ, cuiuscunque gradus comparationis sunt, aut etiã nullius, producitur, ut Recte, Rectissime. Item Pie, Egregie, Eximie.

Submonitio.

Quæ a nominibus declinationis alterius descendunt, e breuiant, ut Dulce, id est, dulciter, Leue, Molle, sic, Rite, Sępe, Nempe, Quippe, &c.

Superlatiua tandem semper produces, ut, Fortissime, Minime, Maxime.

Exceptio.

1 Excipiuntur, Bene, Male, & Mage, quæ in positiuo e corripiunt.

1 Ferme & Fere producunt e.

E, finale in interiectionibus.

Interiectio quæ in e desinit, e corripit, ut Euge.

Exceptio.

Iacche, Ohe, Pape, producuntur.

E, finale in monosyllabis.

Dictiones monosyllabæ, e productũ habẽt, ut, Me, Te, Se, Præ, De, E, He.

Exceptio.

Syllabicæ dictiones in e. dictionibus adiunctæ, corripiuntur, ut, Huiusce, Tute, Suapte.

Adnotatio.

1 Quæ pronomen producitur.

Quę coniunctio corripitur, sic, quisque.

2 Ne cùm interrogat, correptũ est, sic, Nonne.

Næ cùm affirmat aut prohibet, productum.

3 Ve coniunctio enclitica, breuiatur.

Væ interiectio execrantis, producitur.

I, in ultimis.

I, in fine dictionis longatur, ut, Domini, Sui, Audi, Vesperi.

Exceptio.

Corripitur, Moly herba: Sicuti, similitudinis aduerbium.

Vocatiuus tertiæ declinationis in i, ut, Alexi, Amarylli, Phylli, corripitur etiam, nam

qui

qui sunt secundę, longantur, ut ò Antoni, Vincenti.

Variatio.

1 Variantur Cui, Ibi, Mihi, Nisi, Quasi, Sibi, Tibi, Vbi.

2 Datiuus Gręcus in i, ut Pelidi, Thetidi.

3 Indeclinabile nomen in i, ut, Gummi, Sinapi.

O, finale.

O, in fine partium orationis uariatur, ut, Leo, Ego, Scribo, Amando.

Modo tamen aduerbium pro solum, tãtùm corripitur.

Exceptio.

1 Excipiuntur datiui & ablatiui nominum secundi declinatus, ut, Domino, Meo, Glycerio, qui longantur tantùm.

2 Genitiuus singularis a nominatiuo in os, ut, huius Apollo, ab Apollos, Androgeo, ab Androgeos, qui etiam producitur.

3 Græcum nomen in o, cuius genitiuus fit in us, ut, Sappho, Sapphus, Clio, Clius, sic Clotho, Dido, quod similiter longatur.

4 Vox monosyllaba, ut, Sto, Flo, Pro, quæ itidem longantur.

5 Aduerbium ablatiui declinationis secundæ formam

formam gerens,ut,Tanto,Quanto,Certo, Recto,Falso, quod etiam producitur.

Variatio.

Citò,uelociter.	Crebrò,frequenter.
Iuno,Iouis uxor.	Mutuo uicissim.
Primo,primitus.	Profecto,certè.
Sedulo, diligenter.	Sero, tarde.
Vero,sed,uel certè.	

Adnotatio.

1 O, aduerbium, seu interiectio,alteri uocali præpositum,uariatur,ut,Te Coridon, ò Alexi, trahit,&c. O, & presidium, &c.

Prepositum autem consonanti, semper longatur,ut,O mihi tam longe &c.

2 Ergo indeclinabile nomen pro causa, o sem per corripit.

Ergo coniunctio, o commune habet.

V, in ultimis.

V, in fine dictionis longatur, ut,Iesu, Gelu,Quercu,&c.

B.

B,in fine dictionis Latinę breuiatur,ut Ob,ab.

B, in fine dictionis peregrinę, producitur, ut Iob,Aminadab,Iacob.

C.

C,finale longatur,ut, Sic,Lac.

Exceptio.

Exceptio.

Donec, Hermidac, Nec, breuiantur.

Variatio.

Fac, a Facio, uariatur.

Adnotatio.

Hic aduerbium, semper longatur, sic, Illic, Istic, & huiusmodi.

Hic pronomen uariatur. Eius tamē obliqui, solum producuntur, ut, Hoc, Hæc, Hac.

D.

D, in fine dictionis breuiatur, ut, apud, Bogud, Daüid.

F, G, H.

F, G, H, regulas uocalium, quibus proximē adhærent, sequuntur, ut Vah, Ah, Vespertug.

L.

L, in fine dictionis, corripitur, ut, Hannibal, Mel, Fel, Nihil.

Exceptio.

Producuntur tria tantum.

Sal, condimentum eduliorum.

Nil, syncopa a Nihil.

Sol, unus planetarum.

Hebræa exeuntia in l, ut, Michael, Micol, Vriel, producuntur etiam.

N, in

N.

N, in fine dictionis producitur, ut, Non, Dæmon, Simon. *Exceptio.*

Corripiuntur, An, interrogatiuum.

In, sic Exin, Proin, Dein, Subin.

Forsan, Forsitan.

Tamen, sic Attamen.

Corripiuntur item quæcunque per Apocopen, n, habent, ut, Men', Ten', Viden', Egon', Satin', id est, Mene? Tene? Videsne? Egone? Satisne?

Submonitio.

1 Nomen in n, inflexionis tertiæ, cuius genitiuus exit in inis, ultimam corripit, ut, Numen, Flumen, Crimen.

Quod aliter genitiuum format, ultimā producit, ut, Titan, Delphin, Dęmon, &c.

2 Nomen in on desinens, declinatus tertij, ultimam productam habet, ut, Helicon, Agamemnon.

Sic omnis genitiuus pluralis Græcus in on, ultimam etiam producit, ut, Epigrammaton, Poematon, &c.

At in on, declinationis secundæ, ultimam habet correptam, ut, Ilion, Glycerion, quod Latini in um uertere solent,

Accu-

3 Accusatiuus in n,a nominatiuo breui, ultimā breuiat,ut Menelaon, Ibin,Medean, quia Menelaus,Ibis,Medea corripiunt ultimam.

Qui si a Nominatiuo producto ueniat, producit ultimam., ut, Anchisen, Aenean, quia Anchises,& Aeneas eandem producunt.

P.

P,finale longatur, ut Volup,Ioseph.

R.

R, in fine corripitur, ut Calcar,Pater, Hector,Murmur,&c.

Exceptio.

Longatur,Lar,laris,Deus familiaris.
Far,faris. Fur,furis.
Nar,naris, fluuius Italiæ.
Par,paris, siue substantiuum, siue adiectiuum.
Cur, interrogatiuum aduerbium.

In er, etiam nomina quæ genitiuum in eris longa penultima formant,ut Crater,crateris.
Character,characteris.
Producuntur etiam,Ver,ueris.
Iber,iberis,populus.
Ether,etheris,splendor.
Aer,aeris,elementum.

Variatio.

Cor,cordis.Celtiber,populus.

Et

Et cōpoſita a par, ut Impar, Diſpar, uariantur.

A S.

As, in fine producitur, ut Regnas, Muſas, Aequitas, Foras.

Exceptio.

Corripitur nominatiuus in as, cuius eſt genitiuus, adis, uel ados, ut Pallas, Archas.

Item accuſatiuus pluralis, declinatus tertij, ut Dœmonas. Canonas, Rhetoras.

Variatio.

Helias, prophetæ nomen, uariatur.

E S.

Es, producitur, ut Species, Parentes, Ames, Toties.

Exceptio.

Corripitur es generis tantùm neutri, ut Cacoethes, Hippomanes.
Penes, præpoſitio.
Inquies, inquietis.

Submonitio.

1 Accuſatiuus pluralis tertiæ declinationis, cuiuſcunque terminationis ſit nominatiuus, modo genitiuus creſcat, correptum habet es, ut, Dæmones, Delphines, Pixides, Titanes, Lichenes, Gigantes.

At ubi genitiuus non creſcit, es in plurali producitur, ut Alpes, Charybdes, &c.

Nomi-

2 Nominatiuus in es, declinationis tertiæ cuius genitiuus singularis corripit penultimam, breuiatur, ut Miles, Teres, interpres, Deses.

Præter.

Ceres, Cereris.
Aries, Arietis.
Paries, Parietis.
Abies, Abietis, quæ producuntur.
Verùm si genitiui penultima producatur, ut, Tapes, Tapetis, Chremes, Chremetis, rectus etiam longatur.

Adnotatio.

Es, a sum breuiatur, & in compositis etiam, ut, Ades, Potes.

Es, ab edo, longatur, sic in compositis, ut, Obes, Ambes.

IS.

Is, in fine corripitur, ut, Matris, Legis, Bis.

Exceptio.

1 Producuntur quę genitiuum finiunt in itis, inis, uel entis, ut, Dis, ditis, Delphis, delphinis, Byrois, Pyroentis.
2 Quicunque casus plurales in is, ut, Sardis, Pueris, Omneis.
3 Secunda persona numeri singularis, cuius secunda pluralis desinit in itis, longa penultima,

ma: vt, Adis, Velis, Sis. Nam Aditis, Velitis, Sitis, dicimus.

4 Glis, Vis, tam uerbum, quàm nomen, cum compositis: vt, Quãuis, Quiuis, Vteruis, etiam longantur.

Adnotatio.

1 Quis, in nominatiuo singulari, corripitur.

Queis, in datiuo, vel ablatiuo plurali, producitur.

2 Tethys, Tethyos, Oceani vxor, variantur.

Thetis, Thetidis, Achillis mater corripitur tantum.

OS.

Os productum est: vt, Dominos, Nepos, Sacerdos, &c.

Exceptio.

Corripitur genitiuus in os, quotæcunque declinationis: ut, Tydeos, Orpheos, Lampados. Item, Compos, & Impos.

Adnotatio.

1 Os oris, longum est.

Os ossis, breue.

2 Rectus Græcus in os, declinationis secundę, cuius genitiuus est in i, breuiatur: ut, Samos, Logos, Delos.

Sed Græcus rectus in os, cuius genitiuus exit in o, producitur: ut Apollos, Androgeos.

VS.

Vs,finale corripitur:ut, Deus, Meus,Tempus,Manus,Lectus,Legendus.

Exceptio.

1 Vs,in omni casu, quartæ inflexionis(exceptis nominatiuo & uocatiuo singularibus qui breuiantur)longatur: ut huius Manus,has manus,ò manus.

2 Genitiuus Græcus,tertij declinatus: ut Sapphus,&c.à Sappho, Dido.

3 Dictio monosyllaba,in us:ut Rus,Ius,Grus, & huiusmodi.

4 Nomen in us, cuius uocatiuus definit in u: ut hic Iesus,ò Iesu:hic Panthus & Panthu.

5 In us nomẽ,cuius genitiuus definit in odis: ut Oedipus,Oedipodis.
In uris,vt tellus,telluris.
In udis,vt incus incudis.
In utis:vt Salus,salutis.
In ontis:vt Opus,opontis.

T.

T,in fine dictionis breuiatur, ut Caput,Certat,Currit.

Variatio.

Syncopa verba, t,finale habent commune: ut Interijt,pro interiuit.
Audijt,pro audiuit.

DE

DE ACCENTIBVS SEV TONIS.

Accentus definitio.

Accentus, lex est, qua syllaba eleuatur, aut deprimitur.

Accentus triplex.

Acutus, quo syllaba acuitur, & insignitur hac nota: ut, nu´x

Grauis, quo syllaba deprimitur, & tali signo noscitur, ut, Certè, aduerbium.

Circumflexus, quo eleuata deprimitur, & notatur hoc insigni, ut, Stõ.

REGVLÆ.

Monosyllaba dictio, breuis natura, etsi positione longatur, acuitur, vt In, pe´r, nu´x, ni´x.

Monosyllaba dictio naturaliter producta, circumflecti debet, ut, Me˜, Te˜, Do˜s, Sto˜, Sta˜s.

Dissyllaba dictio, quantaquanta sit, accentum habet in priori, ut, Ma´ter, me´a, De´us.

Polysyllaba dictio, cuius penultima longatur, in ea accentum habet, quantæcunque sint syllabæ cæteræ, ut, Roma´nus, Sace´rdos.

Polysyllaba dictio, cuius penultima correpta est, in antepenultima accentũ habet, etsi eadem syllaba etiã breuietur: ut Do´minus, Muli´eris.

Exceptio.

1 Vltima interrogationis, ſemper acuitur, ut, Quis me vocat?

2 Diſtinctionis gratia mutatur accentus, ſic vnà, aduerbiũ, ad differentiam nominis, acuitur.

Ergo aduerbiũ, circumflectitur, coniunctio grauatur, ſic Eó, Aliquó, Falſó, Repẽte, &c. acuuntur, ne putentur eſſe nomina, uel pronomina, in contextu tamen orationis grauantur.

3 Syncope accentum mutat, ſic Aquinàs, Cuias, ultimam circumflectunt, ut olim penultimam Aquinàtis, cuiàtis, ſic Donec, Adhúc, Fumăt, pro fumàuit.

Et per Apocopen, ut ò Mercuri. Tranſumptione mutatur accentus, ut, Qua de re, &c.

4 Cum prępoſitio. Item Que, Ne, Ve, encliticę coniunctiones, accentum proprium in prępcedentem reijciunt, & acuunt, ut, Quícum, Mécum, Hominéſve, Feréne.

5 Idiomate accentus immutantur, ſic εἴδωλον antepenultimam Gręcis acuit. Latinis, penultimam. φιλοσοφία Gręcis, Philoſophia Latinis, Qua in re Quintiliani prçceptũ obſeruandũ. Mihi autẽ placet (inquit) Latinam rationem ſequi, qui Gręcã figuram ſequi mallet, non Latinè quidẽ, ſed citra repręhenſionem loquetur.

Quod

Quod ad Hebręas dictiones attinet, vbi ea rū ratio nō constiterit, Latinè proferre poteris.

Longus accentus, supra uocalē positus, ipsam productam ostendit, ut re´gula, uel sic, rēgula.

Breuis, breuem supra quam locatur, indicat, ut Dĕus.

Υ᾽φὲν, Latinè, subunio, virgula est incurua dictionibus subscripta, qua dictiones coniungendas indicamus, ita figuratur ‿ uel ita - ut, Quicun ‿ que, uel, Quicun - que.

Υ῾ποδιαστολὴ, subdiuisio Latinè, semicirculus est, quo dictiones inter se diuidimus, hoc modo, cor, uinum lætificat.

Α᾽πόστροφος, Auersio semicirculus est supra uocalem positus, uocalem elisam significans, hoc modo, Tanton'me crimine dignum duxistis? pro tanto'ne?

Δασεῖα, Aspiratus spiritus Græcorum, nostrorum est h, ut ὕμνος, hymnus.

Ψιλὴ, tenuis spiritus, uocalem sine aspiratione proferendam significat, ut, ἐγὼ, ego, Latini hunc characterem ignorant.

De Periodis, seu clausularum Punctis.

PEriodos, Latinè circuitus, circumductus conclusio, uocum est circuitio, & comprę

hensio, qua impletur & absoluitur sententia. puncto notatur, hoc modo.

Huius partes sunt, colon, & comma.,

Κῶλον, est orationis pars, quæ etiam si verbo finito constat, legentis tamen animum adhuc suspensum tenet: geminato puncto notatur sic:

Κόμμα: Cicero incisum uocat: notula est ad faciliorem lectionem, orationis partes distinguens: sic notatur,

Sunt & aliæ notulæ, quæ lectionem adiuuant: cuiusmodi sunt virgula,

Punctum admiratiuum, seu exclamatiuum!

Punctum interrogatiuum?

Parenthesis ( )

Periodus est eiusmodi apud Ciceronem, 1. epistolarum: Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus: mihi ipse nunquam satisfacio: tanta est enim magnitudo tuorum erga me meritorum, ut quoniam tu nisi perfecta re, de me non conquiesti: ego quia non idem in tua causa efficio, uitam mihi acerbam putem. Quinque hæc Periodus colis constat, commatis quatuor, quæ ex suis notulis quiuis facilè intellexerit.

PANTALEONTIS BARTELONÆI RAVERINI,

De figuris Poëmati frequentibus.

Epitome.



VAM tibi subijcio, iuuenis studiose, figura.
In tres præcipue species, & membra secatur.
Schema, Tropum, Metaplasmum etiam, quas tum reserabo.
De uitijs his oppositis ubi pauca notare.

Tria Orationis uitia.

Barbarus, Obscurus, sermo male textus habentur.
Tres tm̃ species uitiorum: est Tullius author.
Vitium orationis generale est triplex.
Obscurum, barbarum, & inordinatum.
Obscuri species tantum numerabimus octo.
Obscurum octo tantum species habet, quæ ordine disponentur.

Dicis Acyrologum cum verba impropria sumis.

Acyrologia, est improprius sermo, vt, Requiem timeo, uel, Spero laborem, Nam speramus bona, Timemus mala.

Tunc Pleonasmus erit, cũ dictio forte uacabit.

Pleonasmos, id est, abundans supra necessitatem oratio, vt,

Sic ore loquuta est. Audiui his meis auribus, his meis oculis vidi.

Sermo Perissologus quicũnq; supfluus esto.

Perissologia, id est, superflua locutio, ut, Viuat Henricus, & non moriatur, cum idem sit uiuere, & non mori.

Amphiboló dubius merito tibi sermo uocat.

Amphibologia, id est, ambigua oratio.

Hæc sæpe fit per accusatiuum, ut,

Certum est Antònium præcedere Crassum eloquentia.

Nonnunquam per uerbum, ut, Cato criminatur, nescitur enim an ipse ab alio, an alium ipse criminetur,

Verbis Tautalogus uarijs rẽ docit eandem.

Tautologia, id est, eiusdem uerbi, aut sermonis reiteratio, vt, Ipse egomet dicam.

Clausula uoce carens eclipsis rite uocatur.

Eclipsis,

Eclipsis,id eſt, defectus quidam neceſſariæ dictionis,quam deſiderat pręciſa ſententia, ut, Italiam fato profugus,id eſt,ad Italiam, uel, Terris iactatus & alto,id eſt, in terris.

Explicitu haud facili tibi ſermo Ænigma fe retur. Ænigma, id eſt,ſermo obſcurus, oratio quæſtiunculave,ut,Mater me genuit,eadē quo que gignitur ex me. Vbi ex aqua glaciem fieri ſignificamus,rurſusq́ue in aquam reſolui.

Inordinatum.

TRES tantum ſpecies male textus ſermo parabit. Inordinatum uitium tres tantùm ſpecies habet,Tapinoſin,Cacophaton,& Cacoſyn theton.

Voce Tapinoſis modica tibi magna recludit. Tapinoſis,id eſt,humiliatio, ſeu magnæ rei humilis deſcriptio,ut,

Multa malus ſimulans,id eſt,ſceleſtus.

Eſt Caco iure phaton ſermo tibi durior æquo. Cacophaton,id eſt,mala dictionum conſonantia,ut,

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.

Quod male compoſitum eſt,dicas Cacoſyn theton eſſe. Cacoſyntheton,id eſt, mala compoſitio,ut, Verſaq́ue iuuencūm terga fatigabimus haſta.

Barbarum.

Barbarum.

Barbarus & species binas tibi sermo reqrit.

Barbarum duas tantum species habet: Barbarismum scilicet, & Solœcismum.

Barbara lexis erit peregrinæ acceptio uocis.

Barbarismus in sola dictione locum habet. Fit autem scripto, uel pronunciatione: Scripto, ut, si quis Solempnis per p, scriberet, uel omo absque aspiratione. Pronunciatione: ut si dicas, De quantitate syllabarum, penultima breui, uel, domīnus, domīna, penultima productā.

Esto Solœcismus connexio non bona vocū.

Solęcismus, est inconueniens dictionum iūctura, contra artem Grammaticorum posita, ut, Albus mulier, uel iste fęmina: Intus eo, pro Intro eo: Autem fieri debet, pro fieri autem dēt.

FIGVRA QVID, ET quibus Poëtæ vtantur.

Figura, ait Quintilianus, est confirmatio quę dam orationis, remota à communi, & primū se offerente ratione, vel,

Figura, est arte aliqua nouata dicendi forma.

Generaliter autem Poetæ tribus maxime utuntur, Metaplasmo, Schemate, & Tropo.

De Metaplasmo, Figuræ specie prima.

Sermonis metaplasmus erit mutatio quęuis. Metaplasmus, dicitur transformatio apud Poetas, idem quod in soluta oratione Barbarismus dicitur.

Prothesis initio adiungit, sed Aphæresis aufert.

Prothesis, appositio dicitur: ut Gnate, pro Náte, Astat, pro Stat.

Aphæresis, ablatio est posita Prothesi, & Appositio dicitur: ut Temnitis, pro contemnitis: Rides, pro irrides.

Syncopa de medio tollit, quod Epenthesis addit.

Syncopa, id est, concisio: ut, Glutisse, pro glutinisse: Amarant, pro amauerant. Epenthesis, id est, interpositio: ut, Induperatorem pro Imperatorem. Opponiturauté Syncopæ.

Quod de Apo fine cope demit, iungit Paragoge.

Apocope, id est, abscisio, amputatio: ut, Peculi, pro peculij, & Tuguri, pro Tugurij.

Paragoge, id est, deductio, quæ addit aliquid fini: ut Dicier, pro dici, & Tegier, pro tegi.

Systola duc curtam, curtato Diastola ductam.

Systole,

Systole, id est, correptio, dum longa syllaba corripitur, ut,

Obstupui, steteruntque comæ.

Diastolæ, breuis syllabæ productio, ut,

Exercet Dianachoros, quę duæ figuræ uitio non carent.

Scissa diæresis est, contracta Synęresis esto.

Dięresis, id est, diuisio, ut,

Aulat in medio libabant pocula Bacchi.

Trissyllabum, pro dissyllabo.

Eclipsis necat M, uocalem, sed Synalępha.

Eclipsis, id est, elisio, non solum uocalis, sed & M, cum uocali, ut, Non equidem inuideo.

Synalępha autem, uocalem prioris dictionis e idit, sequente altera uocali, ut,

Semper ego auditor tm̃? Hę duę figurę pro pter scansionẽ uersuũ diligenter notandę sunt.

Litterulã Antithesis mutat thesis, at Meta transfert. Antithesis, id est, literę, pro litera positio, ut, Olli, pro, Illi.

Metathesis, id est, transpositio, ut, Thymbre, pro Thymber, Euandre, pro Euander.

Prępositã mutat persępe Parallaga uocem.

Parallage protheseon, id est, pręposition ũ mutatio, fit quando prępositio pro ꝑpositione po nitur, ut, Si bene quid de te merui, pro in te.

De Schemate.

Schema dabit species Dianęas, Lexeos atq;.
At sensū gratia inuersum Dianęa tenebit.
Vt tibi pro uerbis Lexis uerba altera ponet.

Schema à Quintiliano dicitur, quod à simplici atq; in promptus posito dicēdi modo Poeticè, uel Rhetoricè mutatū est. Cuius duas esse species idem ait, διανοίας, id est, sententiarum, & λέξεος, id est, uerborum, uel dictionis.

Prior species, authore Donato, ad Oratorem pertinet, altera ad Grammaticos.

Porrò à Diomede Schematis decem & octo species numerantur, quę hic ordine disponuntur.

Res & dicta refert quā fiant ante Prolepsis.

Prolepsis, id est, prę sumptio, ut uertit Quintilianus, fit quando quod posterius uenit, anteà describitur. Virgilius.

-Portusque require Velinos,

Velia enim nondum dicebatur, quando Æneas ad Italiam uenit.

Zeugma, uel initio, medio'ue, aut fine locatur,
Quod uerbo sensus diuersis claudet eodē.

Zeugma, id est, coniunctio, fit cū plures sententię unò uerbo clauduntur. Aut quoties diuersi nominatiui ad unum uerbum, uel adiectiuum refe-

referuntur. Fit autem tripliciter: quia verbum uel adiectiuum aliquando præponitur, ad qđ reliqua referuntur: ut, Vicit pudorem libido: timorem, audacia: rationem, amentia: nominaturq́; tũ Protozeugma: uel, Zeugma à priore.

Aliquando poſtponitur verbum.

Terentius, Id viſo, tu an illi inſaniant: hæc hyſterozeugma dicitur, & à Latinis Zeugma à poſteriore.

Aliquando uerbum in medio ponitur. Virgilius, Huc ades ò Melibœe, caper tibi ſaluus, & hędi.

Hæc uocatur Meſozeugma, ſiue Zeugma à medio.

Reddit hypozeuſis ſuę rebus verba quibusq́;. Hypozeuſis, id eſt ſubiunctio, fit cùm diuerſis rebus ſingula uerba attribuuntur. Virgilius.

Regem adit, & regi memorat nomenque, genuſque.
Quidve petat, quidve iſte ferat Mezentius arma.
Quæ ſibi cõciliet, uiolentaq́; pectora Turni.
Edocet, humanis quæ ſit fiducia rebus.
Admonet, immiſcetque preces.

Pro numero, numerum ponas, Syllepſis hētur. Syllepſis, id eſt, conceptio; fit autem, ait Dio-

me-

medes, cùm singularis dictio plurali uerbo redditur, uel pluralis dictio singulari uerbo adiungitur. Virgilius.

Hic illius arma, hic currus fuit.

Fit quoque Syllepsis, dum pro multis vnus ponitur. Virgilius, Hostis habet muros.

Vincla quib. voces nectũtur Asyndetõ aufert.

Asyndeton, quod & Dialyton, id est, dissolutum dicitur: fit quando sine coniunctione plures dictiones connectuntur. Virgilius,

Alij naualibus ite,
Ferte citi ferrum, datè tela, impellite remos.

Sæpi⁹ at repeti vincla hæc Polysyndetõ optat.

Polysyndeton, id est, uariè coniunctum, oratio multis connexa coniunctionibus. Virgilius.

- Athamasque, Thoasque.
Pelidesq; Neoptolemus, primusq; Machaon.

Carminis initiũ, finemq; Anadiplosis æquat.

Anadiplosis, id est, reduplicatio, fit autem quando eadem dictio, præcedentem uersum claudit, & sequentem incipit. Virgilius.

Certēt & cygnis vlulæ, sic Tityrus Orpheus,
Orpheus in syluis, inter delphinas Arion.

Carmen & initio, & fini reperitur eodem.

Epanalepsis, id est, repetitio, qñ eadem dictio, & principium versus, & finẽ tenet. Iuuenalis,

Crescit

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Format Epizeuxis repetitã ex pectore vocē.
Epizeuxis, id est, coniũctio, fit quãdo dictio eadem sine aliquá dilatione geminatur cum impetu pronunciationis. Virgilius,
Meme adsum qui feci, in me cõuertite ferrum.
Tum Periphrasis erit, circum si qñ loquamur.
Periphrasis, id est, loquendi circuitus, fit cùm quod paucis dici potest, plurib. explicatur: vt, Teneros ouium depellere fœtus, id est, agnos. Hæc figura late patet. Nam Chronographiam, Macrologiam, & Topographiam proximè attingit, ac Hyrmon etiam, & Topothesin.

Tum Chrono fingo graphum, rerum cùm tempora scribo.

Chronographia, id est, temporis descriptio. Virgilius.
Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox.

Tum Topo condo graphum, sedes cùm pingo locorum.

Topographia, id est, loci descriptio. Virg.
Lucus in vrbe fuit, media gratissimus vmbra.
Totum Cosmographus scriptis definiet orbē.

Geographia, siue Cosmographia, terrę, siue mundi descriptio interpretatur.

Tum

Tũ Topo cõdo thesim fictã cùm scripsero sedẽ.

Topothesis, id est, loci positio, est ficti loci descriptio. Virgilius.

Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit obiectu laterum, &c. Nam portus ille qui describitur, nusquam est in Lybia.

Hyrmos perpetui series sermonis habetur.

Hyrmos, id est, oratio continue tenorẽ suũ in multos uersus protendens. Virgilius.

Principio cœlũ ac terras camposq; liquẽtes,
Lucentemq. globum Lunæ, Titaniaq. astra
Spiritus intus alit.

Plusquam adhibenda fides sit rebus, Hyperbola dicit.

Hyperbola, id est, superlatio, fit cum dictio fidẽ excedens ponitur augendi, minuendive gratia. Augendi, ut, Fulminis ocyor alis: Minuendi, ut Volantis folij sonitus te deterreret.

Confusam seriẽ sermonis Hyperbatõ adfert.

Hyperbaton, id est, uerbi transgressio, aspera, dura, ac dissoluta oratio.

Hysterõ est proteron postponens ante ferẽdũ.

Hysterologia, id est, prępostерus sermo, figura, quę & Hysteron proteron uocatur, fit cũ quod prius dicitur, fit posterius. Virgilius.

Moriamur, & in media arma ruamus. Prius

enim in media arma ruendum, quàm moriendum.

Tranſtra per, & remos permittit Anaſtropha dicas.

Anaſtrophe, id eſt, inuerſio, ordo duarum dictionum prępoſterus: quoties uidelicet præpoſitio poſtponitur ſuó caſui, ut, Littora circũ, id eſt, Circum littora.

Quidquam interijcias, Tmeſis tibi uerba ſecabit. Tmeſis, id ęſt, dictionis alijs interpoſitis ſectio. Virgilius.

-Septem ſubiecta trioni, id eſt, Septẽtrioni.

Sẽſum interijcias perſæpe Parẽtheſis optat.

Parentheſis, interclusio, ſeu interpoſitio, fit cùm ſermonis continuationi medius quidam ſermo interuenit. Virgilius,

O ſocij (neq. enim ignari ſumus ante malorũ)
O paſſi grauiora, dabit Deus his quoq. finẽ.

Syntheſis & ſenſus, uoces confundit & ipſas.

Syntheſis, id eſt, oblonga confuſio, aut (ut Donatus ait) Hyperbaton undique confuſum, fit in turbata conſtructione. Virgilius,

Vina bon⁹ quæ deinde cadis onerarat Aceſtes
Littore Trinacrio, dederatq́. abeũtibus heros,
Diuidit.

Eſt Allegoria, pro ſenſu acceptio ſenſus.

Allego-

Allegoria, inuersio est, quę aliud uerbis, aliud sensu ostendit. Virg.

Clauditeiam riuos pueri, sat prata biberunt, id est, Canere desinite, satis audiuimus.

Aduersum uobis sensum ironia reponit.

Ironia, id est, dissimulatio, illusio hæc diuersum ei, quod dicit intellectum petit. Terētius,

Id populus curat scilicet.

Hanc nisi grauitas pronunciationis adiuuerit, confiteri uidebitur, quod negare contendit.

Feceris Antiphrasin si per contraria dicas.

Antiphrasis, id est, uerbi unius ironia, est dictio contrarium significans, ut, Bellum quod minime bellum, qua nanos Athlantas uocamus, uel Homuncionem Gigantem, aut Aethiopem argenteum.

Est Charientismos uerba aspirantia paci.

Charientismos, qua durè dicta gratius proferuntur, ut, Si rogarem, quis me uult, aut quæsiuit? & respondeatur, bona salus, uel fortuna, ita me neminem quęsiuisse intelligo.

Vulgaris dici tibi sermo Parœmia debet.

Parœmia, id est, prouerbium, uel adagiū, ut, Lupus est in fabula, id est, sermo nobis eripitur per præsentiam eius de quo loquebamur.

Sarcasmos inimica solet derisio dici.

Sarcaſmos, id eſt, plena atque hoſtilis deriſio, ſeu iocus cum amaritudine. Virg.

- Referes ergo hæc, & nuntius ibis.
Pelidæ genitori, illi mea triſtia facta,
Degeneréq. Neoptolemū narrare memēto.

Ruſtica ſimplicitas ſi deeſt, Aſteiſmos habetur. Aſteiſmos, id eſt, urbanitas, oratio ruſticitate carens. Virg.

Qui Bauiū nō odit, amet tua carmina Meui,
Atque idē iungat uulpes, & mulgeat hircos.

id eſt, pro pœna habeat, ut diligat Meuiū peiorē Bauio, & faciat quæ contra naturam ſunt.

Per ſimile initium modulis Anaphora ſæpe.

Anaphora, id eſt, repetitio ſiue relatio eiuſdem dictionis in principio duorum uerſuum. Virgilius.

Nate meæ uires, mea magna potentia ſolus.
Nate patris ſummi, qui tela Typhoia tēnis.

Voci addit ſimili Paronomaſia uocem.

Paronomaſia, id eſt, denominatio, fit cum dictio reiteratur mutata tamen litera, aut ſyllaba in diuerſam ſignificationem. Terentius, Nā inceptio eſt amentium, haud amantium.

Fixa adiectiuis Scheſis Onomaton bene confert.

Scheſis.

Schesis onomaton,id est, nominum habitudo,fit dum singulis nominibus epitheta coniuncta sunt, ut,

Marsa manus, Peligna cohors, festina uirum uis.

Littora principijs uarijs eadē est Paromœō.

Paromœon,id est simile,quoties in oratione dictiones ab eisdem literis incipiunt: ut, (ris.
Machina multa minax, minatur maxima mu-

O fortunatam natam dat Homœoteleuton.

Homœoteleuton,id est, similiter desinēs est oratio similibus terminata uocibus. Ennius.

Eos deduci quàm relinqui,euehi, quàm deseri màlui.

RedditHomœoptotō similes uocū tibi fines.
Homœoptoton, id est,casuum similis terminatio. Ennius.

Mœrētes, flētes,lachrymātes,ac miserantes,

Esto Polyptoton uarij tibi clausula casus.
Polyptoton, id est, multiplicem habēs casum, uel oratio casuum uariè distincta. Persius.

Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuertī.

Per uoces Climax graditur perpulchra resumptas.

Climax, id est, gradatio, fit cū de uerbo media quadā repetitione in uerbū fit progressio:

 ut,

ut, Induſtria parit uirtutem, uirtus gloriam, gloria inimicitias, inimicitiæ pericula.

Tropus quid, eiuſq; ſpecies.

Pro proprio improprij Tropus eſt acceptio ſenſus.

Tropus, eſt uerbi, uel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio, au thore Quintiliano.

Tũc Meta pono phorã, cũ fit translatio reb.

Metaphora, Tropi maxima ſpecies, id eſt, translatio, quæ mutuari permittit, quæ lingua Latina non habet, ne alicui rei nomen deeſſe uideatur: Hæc figura aliquando neceſſaria eſt, dum caremus nomine: ut, Gemmam in uite nominamus.

Hæc fit quoties mitem hominem, uocamus agnum: hominem ferum, urſum: libidinoſum, ſuem: Iudæos, canes: CHRISTVM reſurgentem, Leonem.

Porrò Tropi ſpecies infinitę putantur: quæ uerò memorantur hæ ſunt.

Verborũ licitus fuerit Catachreſis abuſus.

Catachreſis, id eſt, abuſio, ut Parricida pro interfectore, cùm proprie patris interfector dicatur.

Hæc figura, ut Quintilianus ait, non haben-

tibus

tibus nomen suum accommoda, & necessaria est. Multa enim sunt Grecè, & Latinè non denominata. Nam qui iaculum emittit iaculari dicitur.

Hic pestě pro pestifero. Metalepsin habebis.

Metalepsis, id est, translatio, uel transsumptio, fit cum aliqua dictio aliud a sua propria significatione ex his quę præcesserunt denotat, ut dum per Aristas, spicas, per spicas, segetes, per segetes, æstates, per has denique annos accipimus. Virgilius,

Post aliquot mea regna uidens mirabor aristas.

Redde Metonymiā, nomē ꝓ nomine pones.

Metonymia, id est, nominum transmutatio: fit cum continens pro contento, & contra cùm contentum pro continente: Idem inuentor ꝓ re inuenta usurpantur. Virgilius, Et uina coronant, id est, crateras, in quibus erat uinum. Idem, Cœlo gratissimus annus, id est, dijs qui in cœlo continentur. Terentius, Sine Cerere & Baccho, friget Venus: ubi per Cererem, panem, per Bacchum, uinum: per Venerem, concubitum significat.

Fit autem Metonymia cùm materia pro re materiata ponitur. Virgilius. Et pleno se pro-

 luit

luit auro, id est, aurata patera.

Pro ꝓprio cõmune tibi Antonomasia ponit.

Antonomasia, é nominis ꝓ nomine positio, generalis pro speciali, ut per Poetã, Virgilium, per Philosophum Aristotelem intelligimus.

Tunc Episungo theton bene quadrans mobi le fixo.

Epitheton, id est, appositum uel adiectiuum, ut, Dulce mustum, Dentes albi, Vina humida. Hoc Poetæ liberius, quàm Oratores utũtur, nisi pondus secum ferat Epitheton, ut, O deformem libidinem? O scelus abominandum?

Pro toto partẽ, contrave Synecdocha ponit.

Synecdoche, intellectio uel comprehẽsio, fit quando a parte totum, uel a toto pars intelligitur, ut, Puppis, pro naui: Tectum, pro domo, uel Frigidus annus, pro frigida hyems.

Ira dolorve animi facit, ut Reticentia fiat.

Aposiopesis, est quàm Cicero Reticentiam. Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem appellant, quæ fit præ ira, aut dolore animi, ut, Quos ego, sed motos præstat cõponere fluctus: ubi subintelligitur, puniam, aut quid simile,

Verba sono conficta parit tibi Onomatopœon.

Onomatopœia, id est, nominis fictio, fit cùm

uocis

uocis confusæ nomen ad imitandum sonum ef fingimus, ut, Leo fremit, Elephas garrit, Equus hinnit, Vrsus sæuit, Bos mugit, Lupus ululat, Asinus rudit, Sus grunit, Ouis balat, Vulpes gannit.

Reddis homœosin claris si nubila pandas.

Homœosis, id est similitudo, quando ex simi litudine cogniti in similitudinem incogniti deuenimus.

Formam si confers formę, uocitabitur Icon.

Icon, id est, forma, formæ ad formam cum similitudine comparatio, aut laudis, aut uituperationis gratia. Virg.

Oĩa Mercurio similis, uocemq; colorẽque.

Rem conferto rei, para tunc bola dicitur esse. Parabola, id est comparatio, uel exemplum aut similitudo, Virgilius,

Qualis mugitus, fugit cùm saucius aram.
Taurus, & incertã excussit ceruice securim.

Dicti uel facti exemplum Paradeigma mini strat. Paradeigma, id est, exemplum facti uel dicti alicuius, aut hortantis dehortantisve narratio. Hortantis. Virgilius.

Antenor potuit medijs elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus.

Dehortantis.

At

At non ſic Phrygius penetrat Lacedæmone paſtor.

Lædeamq́. Helenã Troianas uexit ad urbes.

Tunc Epiſacta mone eſt uerſus cũ ſæpe iteratur. Epimone, id eſt, perſeuerantia, quę fit in uerſibus intercalaribus, id eſt, qui ſæpius in libris repetuntur. Virgilius.

Incipe Menalios mecum mea tibia uerſus.

Verba per aduerſum ſi ſumis, Hypallaga fertur.

Hypallage, id eſt, Submutatio, fit dum uerba per aduerſum intelliguntur. Virgilius, Et dare claſſibus auſtros.

Pro caſu caſum pōne, Antiptoſin habebis.

Antiptoſis, id eſt, caſus pro caſu poſitio. Vir. Vrbem quam ſtatuo ueſtra eſt, pro urbs, quamquam hoc Græca imitatione excuſatur.

Hendiadis fixum perbelle in mobile ſoluit.

Hendiadis figura eſt, cùm ſubſtantiuum in adiectiuum reſoluitur. Virgilius,

Pateris libamus & auro, id eſt, pateris aureis.

Cùm plus ſignificas quàm dicis, Liptote habetur.

Liptote, id eſt, defectiua oratio, fit dum minus dicitur, & plus intelligitur: Virgilius, Munera nec ſperno, id eſt, libenter accipio.

Anti

Anti facis pophoram reſpondens obijciẽdis.
Antipophora, id eſt, tacitæ obiectionis reſponſio,ut,
Sum pius,heu doleo, nam mihi ſæpe nocet.
Ideo enim dolet, quoniam ſæpe nocuit.
Inter ſe cupit Antitheton contraria necti.
Antitheton,id eſt,contrapoſitum, ſiue contrarium.Ouidius.
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cũ duris ſine pondere habẽtia põdus.
Plurima Brachylogus paucis perſtringere nouit.
Brachylogia, id eſt, breuiloquium,fit cùm plura paucis complectimur.Virgilius,
Ferte citi ferrum,date tela,impellite remos.
Quiuis Macrologus ſermo ꝓlixus habetur.
Macrologia,id eſt, longus ſermo, ut Legati non impetrata pace,retro domum unde uenerant,abierũt.
Dicis Erotema,ut ſi quando quęſtio fiet.
Erotema,id eſt, interrogatio: Virgilius.
Et quæ tanta fuit Romã tibi cauſa uidendi?
Pãdit Epexegeſis quæ iam tibi dicta fuere.
Epexegeſis, id eſt, prioris dicti expoſitio,fit cùm ſequentia priora exponunt. Virgilius,
Tolle fuga Turnũ,atq. inſtãtibus eripe fatis.
Ab-

Abſentę́ bellis compellat Apoſtropha dictis.
Apoſtrophe, id eſt, auerſus a iudice ſermo, ait Quintilianus, fit quoties ſermo ab inſtituta narratione ad ſecundam uertitur perſonam. Virg.

- Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur, quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Non eſt obuerſum, ut Perſonę fictio fiat.
Proſopopœia, id eſt, perſonæ fictio, fit āt cū rebus inanimatis uerba attribuimus, aut quoties inanimatū cū animato loq. facimus. Virg.

Dulces exuuiæ dum fata, Deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his abſoluite curis. ubi Dido ad ueſtes loquitur.

Ob ſonitum dulcem uoces Euphonia mutat.
Euphonia transfertur a Priſciano bona ſonoritas, a Quintiliano, uocalitas, ut Aufero, pro Abfero, & Proſum prodes prodeſt, pro Proes proeſt.

Pars in fruſtra ſecant dixerunt Syntheſin eſſe. Syntheſis, id eſt, compoſitio, fit, ut quibuſdā placet, cùm ſingulare collectiuum uerbo plurali pręponitur. Virgilius.

Pars in fruſta ſecant. Pars abiere.

Vult, Allœotheta, ut quidquam mutetur in arte.

Allœo-

Alloeotheta,siue Alloeosis, figura est permu tans partium orationis accidentia, quæ sub se Antithesin continet,ut Virgil.Hæret,pede pes, densúsque uiro uir,Pede, pro Pedi.

Emphasis esto tibi pronomen plurima monstrans,

Emphasis, id est, amplior uirtus altiorem prębens intellectum, quàm quem uerba per se ipsa declarant, figura frequens in pronominibus, ille, ipse, & similibus. Terentius. Hic ille est,sic dicimus,Aristoteles ille Philosophorum præclarissimus.

Pulchra figura mihi est, quando repetiuero uocem.

Epanodos, id est, regressio, ut Adolescentia iuuenis laudo,nō autē qui lasciuiam sequitur.

Quæ magis excellūt,sunt præponēda Poetis. Catexoche, excellentia, uel eminentia. Virg.

- Quæ cura boum, quis cultus habendo.

Sit pecori. per excellentiam dixit boues, & postea intulit cætera pecora, ut maius animal separet á minoribus.

Opposito exaugēs Para facta diastola fertur, Paradiastole, id est distinctio, fit cū pro astuto sapientem appellamus, aut quoties nostra dilatamus interpretamento, ut cum Prodigum

Libera-

Liberalem dicimus, Temerarium, Fortem.

Tum Meta fingo bolen, uarias cum res simul edo.

Metabole, id est, mutatio, est rerum diuersarum coniuncta uarietas. Virgilius,

Hic segetes, illic ueniunt fœlicius uuæ,
Arborei fœtus alibi, atque iniussa uirescunt
Gramma.

Principium, medium finis quoque mixta Ploce fit.

Ploce, id est, implicatio, fit ex permixtis figuris, cum scilicet media primis, & ultima medijs congruunt, ut, Hic tamen uiuit: uiuit? imo etiam in Senatum uenit.

Aetio pono logum rerum tribuēs rationes.

Aetiologia, est eorum quæ dicuntur causæ redditio: Virgilius,

Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nā teneras acerbāt uincula palmas.

Tunc Apo condo phasin probris cum forte satis fit.

Apophasis, id est, negatio & depulsio, est obiectę uituperationi responsio. Virg.

Non ego te uidi Damonis pessime caprum
Excipere insidijs, multum latrante Lycisca?
cui respondetur.

An

An mihi cantando uictus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Et numerum, seriemque docet Catalogus omnem.

Catalogus, id est, sermo numerū designās, est rerum certa quadam serie enumeratio. Ouid.

Tres sumus imbelles numero, sine uiribus uxor,
Laertesque senex, Telemachusque puer.
Esto tibi Genesis, generis cū scribitur ordo.

Genesis, seu Genealogia, id est, de origine generis sermo, est generis certa descriptio, ut,

Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica,
Accipimus, Fauno Picus pater, isq. parētem
Te Saturne refert.
Est Pali rite loga, uerbi repetitio pulchra.

Palilogia, id est, reduplicatio, est rei uel dictionis eiusdem uenusta repetitio, ut,

Arma uiri ferte arma, uocat lux ultima uictos.
Excellēs Epiphonema, exclamatio uerbi est.

Epiphonema, id est, rei enarratæ summa exclamatio: Virgilius.

Tantæ molis erat Romanā condere gētem.

Vita

Vita defunctos laudans Epicedion esto.

Epicedion, id est, carmen quod in laudem defuncti ante cadauer sepulti cani solet: ut,

Extinctũ nymphæ crudeli funere Daphnin
Flebant.

Alio modo dicitur Nœnia, uel Monodia.

Syllaba nil sensum adiutans fit ubique Parelcon.

Parelcon, est supra integrum sensum syllabæ adiunctio. Terent.

Adesdum, paucis te uolo.

Aeschrologus fuerit, referas si turpia dictis.

Aeschrologia, est uerbi obscœna significatio, & pronunciatio, ut Teren. Arrige aures Pamphile. Virg.

At ramũ hunc aperit, ramũ qui forte latebat.

Quos duos locos obscœni interpretes exponunt de uirili uirga.


Non repetenda puto Syntaxis, quæ ante parauit.

Adijciunt nonnulli, Euocationem, Appositionem, & alias id genus constructionis potius, quàm locutionis figuras, quas prudenter in præsentia omittimus breuitati consulentes, si quis autem illas uolet, requirat ex Syntaxi nostra, aut aliorum.

R. VVIDII TORNODOREI

DE DIALECTIS GRÆCIS LIBELLVS.


R. Vuidius Tornodoreus Lectori, S.



VM huic adiectum libello, quid Greci Poete à Latinis haberent alienum, videremus: non ab re quoq; sum arbitratus ẽt quid in ipsis Grecis difficultatis censeat esse, & quid sit illud, quamobrẽ peregrina quodãmodo lingua uideant usi, breui cõplecti. Sed id ipsum aggressus sum, non quo eam à Grãmaticis partem intactam, nec attentatam uiderem esse, sed ut quę longius illi, prolixiusq; tractarunt, *εἰς ἕνα λόγον*, uel ad pauca redigerem.


Hinc, mihi quidem, ut videtur, eorum explanatio futura est, & enodatio, quæ poetis Græcis lucem orationi debitam auferunt, & quasi noctem quandam eorum offundunt lectioni. Vt enim illi ferocioribus, grauioribusque tanquàm a numine diuûm inflammati sententijs exultant, quàm qui sese ad nutum, & intellectum popularium hominum componunt: sic item grandioribus, obscurioribus, à communique remotioribus sensu uerbis utuntur. Verborum autem obscuritati succurritur à nobis, quòd rerum grauitas arte nulla compræhendi potest. Sed hæc ipsa difficultas è characterum uarietate, quam διάλεκτον vocant cuius apud alias, atque alias diuersus est usus nationes, existit: quæ quidem si sic tandem, explicetur, ut apparere diligenter animaduertenti possit mirum est, quanto id emolumento studiosis hominibus sit futurum. In poetarum enim lectione quid fructus insit, quid adiumenti πρὸς τὴν ἐγκυκλοπαιδείαν, veteribus iudicium relinquo, qui uersus aliquot orationi suæ venustatis, fideique gratia immiscere non dubitarunt. Quod ipsum fecissent nunquam, si quorum in lectionem incidissent, eos intelligere non potuissent. Quapropter hāc in

grammatices partem tibi, qui τῶν ἑλληνικῶν ?υγκάνεις ἐφιέμενος, opera danda est, nihil ut conniueas in percipiendis, cognoscendisq́; dialectis: quas ut apud alios copiosius, perfectiusque discere possis, his tamen in legendis quantum laboris insumpseris, fortasse non pœnitebit. Omissis enim multis, quæ sunt aut peruulgata, aut cognitu non difficilia, modestiæ statui esse nostrę, cùm libellus hic de prosodia breuiter sit absolutus, in hac etiam nostra accessione breuitati consulere. Hęc igitur habeto, quæ non solum ad intelligendum Gręcũ poema, sed etiam ad Græcè uersificandum, ꝙ Latinè nos fœliciter, mihi quondam non pœnitendus pręceptor P. Bartelonæus docuit, faciliorem suppeditabunt uiam. Vale. Tornodori.



DE QVINQVE DIALECTIS,

Et vnde vnaquęque nomen, & originem habeat.



Vinque autem idiomata, siue διαλέκτους tractare sumus ingressi, Atticum videlicet, Ionicũ, Æolicũ, Doricum, & Poeticũ. Cõe reliquimus, ꝙ ut quidam censent, ex alijs constat oĩbus, aut quia pedestri conuenit magis orationi, quàm poemati: aut quoniam qui uulgo uoluerunt intelligi, in eo frequentes fuerunt, ideò discenti cognitu facilius est, & promptius. Poeticum uerò pręter alios addidimus, non quin cęterarum quoque dialectorũ usus Poetis concedatur, sed quòd extra nationes omnes aliquid ipsi sibi Poetę de suo peperęrunt. Quàmobrem quod proprium uendicarunt, nec ab alijs mutuati sunt, id Poeticum appellauimus, idioma uidelicet à cęteris distinctum & diuisum. Non igitur dubium est quin Poeticũ idioma sui Poetas authores hẽat.

At Ionicum ab Ione Xythi filio nomen in-

uenit.

uenit. Xythus autem filius fuit Hellenos, qui idem Deucalion dictus est. Nam is primus post diluuionem, ut est in fabulis, hominum sator fuit, ut Prometheus fictor ac plasmator fuisse dicitur: unde ab Ouid. in Metam. Promethides appellatur.

Atticum autem dicendi genus, non id quidem quod in oratione perpetua intelligitur, sed quod formam quandã uerborum habet ab alijs Dialectis discretam, cum sua simul regione nomen ab Atthide Granai regis filia natum est, cuius rei testis est, ut cęteros omittam, Iustinus historicus.

Æolico nomen dedit Æolus Deucalionis filius & Pyrrhę. Hic enim decem cùm extruxisset urbes, & regionem illam Æoliam, & linguam, qua tum utebantur, Æolida uocitauit.

Quintum denique & ultimum Doricum est, quod itidem à Doro Deucalionis & Pyrrhę filio nuncupatur. Nam omnes Deucalionis filij, cùm diuersas in terras successissent, quos ad habitandum sibi selegerunt locos, eos iusserunt à nominibus suis & linguam, cuius usum haberent in perpetuam memoriam nominari.

Quid sit Dialectus, & quotuplex, & quem quæque loquendi modum habeat.

Sed quid Dialectus sit, & quot modis intelligatur, ostendere, nostri sanè fuerit instituti, quoniam de Dialectis nobis est suscepta disputatio. Finit autem Ioannes Grammaticus τὸ γλώττης ἰδίωμα, Budæus proprietatem linguæ. Hac nos diffinitione contenti, triplicem eius usum expediemus. Aut enim totius nominis commutatione fit, aut parte tantùm inuersa, aut fortuita quadam ratione, quod accidens Dialectici uocant. Primo modo ἀλδρόπησιν Attici, quam τηλίαν cõmuniter dicunt, quod idem nostro Celtismo, *Vn crible*, dicimus. Viden' tria hæc idiomata in hoc toto nomine nihil habere inter se simile? Prior huius nominis pars nobis cum Latinis communis est. cribrum enim illi, nos crible, ut ultima tantùm syllaba differamus ab illis.

Casu & fortuitò fit Dialectus, uel aliquid addendo in principio, ut ῥόδον βρόδον Æolij dicunt: uel detrahendo, ἔτυπτον τύπτον poeticè, ἐκεῖνος κεῖνος. uel plenam, iustamq́ue dictionem in medio, syllaba uel litera priuando: ἐξαίρετος ἔξαιτος, αἰμύξαι ἀμίξαι Ionicè,

vel

uel syllabarum uicem præuertendo, ut δίφρον δρίφον, quod Ionum est: uel cęteris alijs tropis, de quibus latius Ioannes Grammaticus: nec institutum est omnia grammaticorum præcepta regerere, sed quæ plurimi ad cognitionē Dialectorum interesse uidebuntur.

Quoniam autem orationis moderatrix semper auditorum fuit prudentia, qui dicere uoluerunt apud Athenienses, ijs accurata, politeque limata, quasiq; ad iudiciū aurium Atticarum, quibus nihil teretius, nihil acrius, elaborata eligenda fuit oratio.

Molliter & delicatè dixerunt Iones, apud quos si quicquam asperum, & ad laborem excitans dictum esset, talem illi magno conatu explodebant orationem.

Dorienses nil nisi suauiter, benignè, uenustè prolatum auribus accipiebant. Huic non longè dissimilis est Æolica uox, quam Melici suis incantibus imitati.

Quod uerò poetis adscriptum est, id ꝑ materia, quam tractant, uel uehementiæ, uel mansuetudinis est plenum. Sed quia plus expeditionis, & ornamenti Attica præsefert oratio, prior illa nobis occurrat, quæ potior est apud oēs habita: faciamusque palam, quid sit id, in

quo ipsa se solet potissimum ostentare Huius lepores consectati sunt Demosthenes, Isocrates, Æschines, multique alij, quorum oratio, uel etiã ipsis Athenis ἀττικωτέρα fuit. Quid habeant igitur ab alijs dissimile, separatim dicendum est.

De Attica dialecto.

A, uertunt in H, in quatuor uerbis, Dorienſium morem imitati, ζῶ, ζᾶς, ζῇς, πεινᾶς πεινῇς, διψᾶς διψῇς, χρᾶται χρῆται, χρᾶσθαι χρῆσθαι, nec subscribunt ι. Characterum igitur immutatio diuersas facit Dialectos, in qua quoniam magna ex parte sibi Poetæ placere uidentur, placet quoque nobis, ut de ea solũ disseramus, relicta, quòd est in toto nomine, linguæ proprietate, quam legendo uir ingenio, uel mediocri passim annotabit.

A, in capite quorundam nominum apud eos abũdat: ut σαφὶς ἀσαφὶς, uua passa: uel auget significationẽ, ut ἀαγὴς, id est, πολυθραυστός.

B, in γ, ut βλήχων γλήχων. βλέφαρος γλέφαρος. hoc, credo, fit propter τοῦ β πρὸς τὸ γ, proximitatem.

A, in ο, quod faciunt & Ælij, πάρδαλις πόρδαλις sunt qui πάρδαλιν fœminam, πόρδαλιν marem esse dicunt. πάρδαλις, Homero

pellis

pellis est, πόρδαλις animal, Latini pardum uocant, ἄσακος, ὄσακος, cancri species.

In nominibus terminatis in αος, α mutant ε, ο in ω. Μενέλαος Μενέλεως, Πρωτεσίλαος Προτεσίλεως, retento proparoxytono, e cuius modi nominibus quarta parisyllaborum nominum existit.

Eorum præterea moris est, ε in α mutare, ϐδέλλω ϐδάλλω.

I, quibusdam in nominibus addunt, præsertim in articulis, & pronominibus τῆσι, pro ταῖς, ουτοσὶ οὗτος, & pro τοῦτοι τουτὶ, & pro τοῦτον τουτονὶ.

Ex αι, ει, οι tollunt ι, ἑταίρων ἑτάρον, λέγειν λέγεν, quod & Doriensium est, ποιῆται ποῆται poetæ.

N, uertunt in λ, ut νίτρον λίτρον, πνεύμων πλεύμων.

Σ, in ξ, in ijs nimirum dictionibus, quæ cum σὺν præpositione componuntur, ξυμπράττω, ξύμμαχος, pro συμπράττω. σύμμαχος.

Σσ in ττ, πράσσω, πράττω.

Pars cōpositionis prior si desinit in ο, sequēs pars autē in ε, ο & ε contrahunt in οῦ, κακόεργος κακοῦργος. Quę tamen ab ὁμοῦ cōponūtur, ab ijs omnis abest contractio, ut ὁμοεθνὴς, non

nos ὁμουθνὴς, ὁμοειδὴς non ὁμουδής. Αὐτὸς quoque contractionem non admittit, sed αὐτουργὸς tamen dicitur. Nunquam autem, si sequatur diphthongus, ὁμοειδὴς, ἑτεροειδής.

Numeralia quæ in α exeunt cum ἔτος composita, contrahuntur, τεσσαρακοντούτης τριακοντούτης, οὐδὲ εἷς pro οὐδείς, οὐδὲ ἓν pro οὐδὲν, & οὐθὲν pro οὐδὲν, quo sæpius utitur Aristoteles.

Ο in quibusdam eliditur, ut οἴομαι οἶμαι, ὠόμλω ὦμλω, λούομαι λοῦμαι.

Λ, in ρ uertunt, κλίβανος κρίβανος, κεφαλαλγία κεφαλαργία.

Σ post ρ in alterum ρ, ἄρσλω ἄῤῥλω, θαρσαλέος θαῤῥαλέος.

Τ, ueteres Attici interijcere solent nominibus & uerbis πόλις πτόλις, πόλεμος πτόλεμος, πόρθος, πτόρθος τύπω τύπτω, ἀνύω ἀνύτω.

Ω interponunt, ἀφεῖκα ἀφέωκα extrito ι, εἶθα εἴωθα, & ἔωθα.

Οι in ει uertunt, δυοῖν δυεῖν, ποῖος πεῖος.

Εο in ει πλέον πλεῖν, δέον δεῖν.

Ει in η, βασιλεῖς βασιλῆς.

Αι in η in aduerbijs, Ἀθήνησιν, Θήβησιν, pro ἐν Ἀθλώαις, ἐν Θήβαις, ut τῆς pro ταῖς.

Ex ω & οι ω faciunt, ut ἐγὼ οἶμαι ἐγῷμαι, ἐγῷδα ἐγὼ οἶδα. Item ex οι, κλοιός κλωός.

Repetitio duarum priorum literarum præſentis in præterito Atticorum eſt, ἐρίζω ἤρικα ἐρήρικα, ὄλλω ὦλα ὄλωλα, de quibus Grammaticos leges.

De Ionica Dialecto.

Ad Ionum characteras nunc ueniamus, ut quid Ionicè dictum ſit, & quonam pacto Ionico poteris idiomate loqui, quo ut plurimũ vſus eſt Homerus intellectu procliue tibi ſit.

A, in η mutant, ut οἴη pro οἴα, Heſiod. in aſpid, H, in α, ἥλιος ἄλιος.

A, in ε ὁράω ὁρέω, λάω λέω, λάων λέων, unde πανταλέων.

E, in α, μέγεθος μέγαθος.

E, in η, κλησθέντες, diuiſa diphthongo κληϊσθέντες.

H, in αι, cum paragoge τοῦ α, uel τοῦ η, νίκη νικαία νικαίη, ἀρχὴ ἀρχαία ἀρχαίη.

In η fœminina quædam per εια deſignant. πηνελόπη πηνελόπεια, ἐρήμη ἐρήμεια.

Quorum genitiuus ſingularis in εος deſinit, à terminatione tertia declinationis circumflexorum

xorum ευς, per ηος efferunt, βασιλεὺς βασιλέος βασιλῆος. Et nominatiuum pluralem per νες βασιλέες βασιλῆες. Sed quorum nominatiuus in ις uel υς per εος efferũt, ut ὄφις ὄφεος, non ὄφηος: ὀξὺς ὀξέος, non ὀξῆος, quia penultima genitiui imparisyllabi tẽpore longior nõ debet esse, quàm ultima nominatiui, id est, terminatio, sed aut breuior, aut par, ut αἴας αἴαντος. ultima τοῦ αἴας, longa natura est, penultima τοῦ αἴαντος, positu. Sed si ὄφις ὄφῆος, diceretur, penultima genitiui longior esset, quàm ultima nominatiui, quę breuis est, poeticè tamen πόλις πόληος dicitur.

H contrahunt ex εα ἔαρ, ἦρ, κέαρ κῆρ.

I tollunt è medio dictionis per ἔλλειψιν ἀπόδειξις ἀπόδεξις, ἀμύξαι ἀμύξαι, quod idẽ faciunt Attici. Fit idẽ in nominibus possessiuis ἀργύρειος ἀργύρεος, χρύσειος, χρύσεος.

I per prosthesin subiungunt τῷ ε, sequente alia uocali, uel liquida, ἕως εἵως, ἐκ τοῦ ἐς, prępositio ε. ξένος ξεῖνος, κενὸς κεινὸς.

Epenthesis Ionica est, μόνος μοῦνος, ὅλος οὖλος, & ei contraria Ellipsis.

Huic nõ aliena est syncopa, ὥρμησεν ὦρσεν, ὥρμητο, ὦρτο, Hesiod. ὦρτο, δ' ἀπὸ οὐλύμποιο δόλον φρεσὶ βυσσοδομεύων.

I, subscriptũ resoluunt ὁ πρῶον ὑπερῶϊον, χρῄζειν χρηίζειν, ῥᾴδιον ῥηΐδιον α in η mutato. E τοῖς ω & ο præponunt, ut, ὢν ἐὼν, ὄντος ἐόντος, quo fit, ut in ιος genitiui à nominibus in ις per εος desinant: quamquam Homerus, qui bona ex parte Ionicus est, communi huius declinationis genitiuo utitur, ὄφις ὄφιος, πόλις πόλιος.

Genitiuum primæ declinationis simplicium per εω efferunt, αἰνείου αἰνειέω, poetæ ε deimunt αἰνείω.

E, interponũt sæpissimè διὰ τὴν παρέκτασιν (qua gaudent maxime) ut in genitiuo plurali primæ & secundæ parisyllaborum, ποιητῶν ποιητέων, μουσῶν μουσέων. aliquando in quinta χειρῶν χειρέων, εἰδῶν εἰδέων.

Ω uertunt in ου, ut pro ὦνου ν: & in ώ, ἐκπλώσας ἐκπλώσας, θεῶμα θηῶμαι.

Ex ο & η faciunt ω, βοήσω βώσω, νοήσω νώσω, & ex ο & α βόαξ βῶξ.

A in ω uertunt, ut ἄνδρωπος, ἄνδρωπος, id tamen fieri uerisimile est per synalœphã τοῦ ο καὶ τοῦ α in nominatiuo, uel τοῦ ω καὶ α in uocatiuo, ut pro ὁ ἄνθρωπος ὤνθρωπος, pro ὦ ἄνθρωπε ὤνθρωπε, spiritu articuli reseruato, similiter pro οἱ ἄνθρωποι ὤνθρωποι. Itē, αυ in diphton-

diphthongum ωυ mutant, αὐτὸς ὠυτὸς.

Genitiuum tertię declinationis parisyll. per οιο designant, ἀνθρώπου ἀνθρώποιο.

Secundæ & tertiæ declinationis datiuo plurali solent ι addere, ut τοῖς τοῖσι, ταῖς mutata αι diphthongo in η, τῆσι.

Ionum & Doriensium more ο, è quibusdam dictionibus eximitur, Ἀκουσίλαος Ἀκουσίλας Ἀναξίλαος Ἀναξίλας.

Pronominum genitiuos in εο definiunt, cùm accedit paragoge poetica in θεν, ἐμοῦ ἐμέο, ἐμέοθεν & ἐμέθεν, σοῦ σέο σέοθεν & σέθεν.

Οι diphthongum in ες mutant, ἐρίηρες ἑταῖ-ραι, pro ἐρίηροι, ἐρυσάρματες ἵπποι pro ἐρυσάρματοι. Hesiod. contra, θεοὶ δ' ἐπιμάρτυροι ἦσαν pro ἐπιμάρτυρες, nam Musæus, εἰπὲ θεὰ κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων.

Οα accusatiuum quartæ declinationis contractorum, in οῦν contrahunt, λητόα λυτοῦν.

Ων syllabã in compositis uerbis interijciũt, vt ἀπὸ ὧν ἔδοντο, ἀντὶ τοῦ ἀπέδοντον, non autem ἀφ' ὧν, quia tenuibus pro aspiratis gaudent, ut ἀπίκοντο οὐκ ὀίοσε.

Alia item nomina sæpiusculè interponũt, vt λέων κατὰ ταῦρον ἐδηδὼς κατεδηδώς. καὶ

ἀπὸ

ἀπὸ κλητὰ τύχες δύσειν ἀποδύσειν. item δὲ, κατὰ δ' ἔκτανεν κατέκτανεν.

Ordinem constructionis præuertunt, ὢ ἔπι πολλ' ἐμόγησα, ubi ἔπι mutat tonum propter conuersionem.

Sed & hyperbata, nimisq; confusæ orationes, Ionum sunt, Hesiod. in aspid. καὶ ἐκ φρένας εἵλετο φωτῶν.

Τῷ κ ἀντὶ τοῦ π in interrogatiuis & relatiuis uti solent, ἀντὶ τοῦ πόσα, κόσα, ἀντὶ τοῦ ὅπως ὅκως, ὁπόσα ὁκόσα.

Ἐς pro εἰς, ut Attici dicunt.

Πολλὸς non πολὺς est eis in usu.

M addunt quibusdam in dictionibus uenustatis gratia, λύψομαι ἐλήφθην ἐλάμφθην.

Vniuersim autem hoc tenendum est, casus omnes tam nominum quàm uerborum Ionas solere diuidere, hyatumque è concursu uocalium libenter captare. Δημοσθένης, Δημοσθένεος, Δημοσθένει, Δημοσθένεϊ. & sic de cęteris casibus huius declinationis, reliquarúmque, ποιεῖσθαι ποιέεσθαι, τυπεῖν τυπέειν. quod item in aduerbijs seruant, sed ita tamen si genitiuus pluralis, unde existit aduerbium in ων, desinat à nominibus circumflexis in ης, quorum genitiuus singularis est

εος,

οὖς, ut δυσεβὴς δυσεβοῦς δυσεβῶν δυσεβῶς δυσεβέως. In alijs nihil dissoluunt, ut δικαίος, ὁσίως.

Τύπτεαι secundam personã uerbi passiui formant à tertia persona τύπτεται, dempto τ, uel ῃ in εαι resoluunt, ut τύπτῃ τύπτεαι.

Composita præterea uocabula secare ac diuidere Ionum est, ut πελοπόννησος, πέλοπος νῆσος, & αἴγαγρον αἶγα ἄγριον.

Modum infinitiuum pro imperatiuo nonnũquam usurpant, ut ἀγορευέμεν pro ἀγόρευε. Masculinum genus pro fœminino ἕσπερος ἦλθεν, pro ἡ ἑσπέρα, quod & Atticorum est.

Quin & elementa transponunt, ut κραδίην ἀντὶ τοῦ καρδίαν. & duplex σσ in ξ uertũt, ut διοσσὰ διξὰ τριοσσὰ τριξά. Sed in transponendis elementis duplex figura est, una quæ metathesis nominatur, cùm in una eademque syllaba literarum ordo mutatur, ut καρτερὸς κρατερὸς, τέταρτος τέτρατος. Altera quæ hyperthesis, cùm & in sequenti syllaba fit transpositio, ut νόθειος, ὄθνειος, γόνους γουνός, δόρυος δουρός.

Iones & Poetæ è uerbis crementa demunt, ut ἔτυπτον τύπτον. In aoristo tamen secundo ἀναδιπλοῦσιν, ut τέτυπον, id est, reduplicãt.

Articulis

Articulis post positiuis, a uocali incipiẽtib⁹, τ præponere solẽt, ut τοῦ ἀντὶ τοῦ οὗ, τάων pro ὧν. uel prępositiuis pro post positiuis utũt.

Consonantium & uocalium sublationes è principio dictionum, Ionicæ sunt, ut λείβειν, εἴβειν γαῖα αἶα, δεινὸς εἰνὸς, ἐκεῖνος κεῖνος, ἑορτὴ ὀρτή. tollunt & σ è principio, quod εὐφωνίας χάριν appositũ erat σμικρὸς μικρὸς, σφάζω φάζω.

Hoc habent cum Doricis commune, ut ου diphthongon ex ο & ε contractam, in ευ conuertant, ποιούμενος ποιεύμενος.

Σφὶν pro σφίσι dicunt, μὴν pro μῆν, ἐς οὗ pro ἕως οὗ, ἰρεὺς ἴρηξ per ι longum pro ἱερεὺς ἱέραξ per crasin τοῦ ι καὶ ε.

Ενέγκω ἐνείκω dempto γ, & interposito ι.

Participio εἰπών non utuntur, sed εἴπας.

Sunt & ijs quędam alię figuræ peculiares. Paremptosis, quę contraria est Ecthlipsi, ut λεγόμεθα λεγόμεσθα, Ecthlipsis Doriensiũ est, ut σκῆπτρον σκῆπτον.

Diaplasiasmus, parellipsi cõtraria, cùm duæ eędẽ consonantes, alioqui non necessarię in dictionem cadunt, ut ὅτι ὅττι. Hesiod. ἐπείγετο δ' ὅττι τάχιστα ἐκτελέσαι μέγα ἔργον. Parellipsis Doriẽsium est, cũ è duabus necessarijs

 conso-

cõſonãtib.eximitur altera, ut κάλλιον κάλιον.

Tertiam perſonam pluralis numeri, pręteriti temporis, indicatiui modi primæ & ſecundæ coniugationis formant a tertia perſona ſingularis numeri, conuerſa muta tenui in aſpiratam, & interiecto α, ut τέτυπται τετύφαται, λέλεκται λελέχαται. In tertia autem perſona pluralis numeri quartę coniugationis mutant characteriſticam tertię perſonæ ſingularis numeri in characteriſticam præteriti temporis medij uerbi, & interpoſito α, ut πέφρασαι πέφραδα πεφράδαται. Quod ſi tertia perſona ſingularis numeri uocalem longam ante τ habeat, quod accidit in uerbis circumflexis, uocalem illam per ſiſtolam corripiunt, πεποίηται πεποιέαται. Infinitiuum per εμεν, formant, τύπτειν τυπτέμεν.

Patronymica una tantum ſyllaba genitiuũ primitiui ſuperare debent, ut λαέρτου λαερτίδης, πριάμου πριαμίδης, πηλέως πηλείδης, ſed Ionice immixto α, duæ ſyllabæ genitiuo, primitiui ſuperſunt, ut λαερτιάδης, πηληϊάδης, & p craſin πηλείδης, & πηληϊάδης, κατ' ἐπέκτασιν τῶν ἀπλῶν, ἀμφιτρυωνίδης ἀμφιτρυωνιάδης. Plura doctiores tradiderunt.

De

De Aeolica Dialecto.

Aeolicum sequitur idioma, in quo plurimã fuisse Sappho tradunt, cuius admiratione stupefacta dicitur, eius audita uoce, Mnemosyne mater. Alcęus hanc linguã suis scriptis adumbrauit. Sed qui cognosci possit hæc Dialectus, erunt, quæ sequuntur, indicio.

Quæ in θεν finiuntur aduerbia, in ijs demũt ν, & ε in α mutant, ὄπισθεν ὄπιθα. At contra in primis personis pluralibus passiuorum α in ε uertunt, adiuncto ν, τυπτόμεθα τυπτόμεθεν.

A in ο mutant στράτος στρότος, θρασέος θροσέος.

H in α longum, quod & Doriensium est. quędam tamen oxytona nomina non patiuntur in α mutari, ut ποιμὴν non ποιμὰν dicitur, λιμὴν non λιμὰν.

Abundant τῷ α genitiui plurales primæ & secundę parisyllabicæ, ποιητὴς ποιτῶν. Hesiodus. Ἡραγλυναικῶν φῦλον, ἐκαίνυτο θηλυτεράων. μουσῶν μουσάων, quod usurpant sępe Poetæ metri causa.

Δ in β mutant, δελφῖνες βελφῖνες. post ponitur τῷ β ueuustatis gratia, βδέλυγμα βδέλλα, βδελυρὸς, βδελύττομαι.

H in ε, sed ita, ut quæ natura syllaba longa

erat, eandem positione producant, ut ποιῆσαι ποιέσαι.

O in ε, ὀδύνη ἐδύνα, βροντὴ βρέντα.

O in υ, ὄνομα, ὄνυμα, ἀσώτερον ἀσύτερον.

Ex ει, ι detrahunt, & liquidam sequentem geminant, neq; aspirationē dictionis conuersæ retinent, ut φθείρω φθέῤῥω. εἵματα ἔμματα.

Z in δσ resoluunt, μελίζειν μελίδσειν. Dorienses in σδ μελίζειν μελίσδειν.

Ευ in η ὀρφεὺς ὄρφης. Ἀχιλλεὺς Ἀχιλλῆς.

E in η in prima uerborum contractorum, ἀδικέω ἀδικήω Infinitiuis ποιεῖν ποιῆν, dicitur & poeticè ποιήμεναι.

I in η, ψιμμύθιον, ψημμύθιον, κικίω κηκίω.

Y in ι, ὑψόθεν ἰψόθεν, ὑπὲρ ἴπερ.

Ex αι expūgunt ι, παλαιὸς παλαὸς, ἑταῖρος ἕταρος, ἀχαῖος ἄχαος. Et in pronominibus, ἡμεῖς ἧμμες, ὑμεῖς ὔμμες, gaudēt etiam diuisione, παῖς πάϊς.

Λ geminant quod & poetis ob metrum cōcedit, ut ἔλαβεν, ἔλλαβεν, ἔλαχον ἔλλαχον.

Π in μ uertunt. παθῶ μαθῶ, παθοῦσα μαθοῦσα.

M in π, ὄμματα ὄππατα, μετ' ἐμοῦ πετ' ἐμοῦ. In compositione τὸ πεδὰ pro μετὰ usurpant, πεδέρχομαι pro μετέρχομαι.

In

In participio pręteriti perfecti temporis σ in ν mutato accentu cōmutant, εἰρηκὼς εἰρήκων, τετυφὼς τετύφων.

Ξ Aeolice resoluitur in σκ, ξένος σκένος, ξίφος σκίφος.

Ω in ο, eoque pacto ex imparisyll. parisyllabum faciunt, ἔρως ἔρωτος, ἔρως ἔρου.

Φ in π, ἀμφὶ ἀμπὶ.

Π geminatur Aeolicè & poeticè.

Σ in ρ, ἵππος ἵππορ, οὗτος οὗτορ.

Transponūt ρ, & gemināt Πρίαμος πέρραμος, κόπρια κόπερρα, ἀλλότριος ἀλλότερος.

Ν in σ in infinitiuis inflexorum, νοεῖν νοεις, ποιεῖν ποίεις, γελᾶν φέλας, ὑψοῦν ὕψους.

Π τ in duplex σσ prȩeunte uocali breui, ἐμπίπτω ἐμπίσσω, ὅπτω ὅσσω.

Σ positum propter Euphoniā tollūt è principio, σμίλαξ μίλαξ, σμικρὸς μικρὸς, quod Poeta in σφὶν φὶν ob metrum faciunt,

E nominib. prima parisyllaborū tollūt σ, ὁ Πυθαγόρας Πυθαγόρα. ὁ Ἀρχύτας Ἀρχύτα.

Et i cōtractis primę declin. e genitiuo, & uocatiuo, τοῦ σωκράτους σωκράτου. ὦ σώκρατε.

Θ in φ uertūt, θλίβω φλίβω, θῆρος, φῆρος,

Χ in φ, αὐχένα αὐφένα.

Ψ in πσ soluunt, uel in σπ p metathesin,

ut πέλοψ πέλοπσ, ψέλλιο πσέλλιο, ψάλις πσάλις.

H in αι quibusdam in dictionibus, ut μιμνήσκω μιμναίσκω, ἡμίονος αἰμίονος. ignorant autem spiritum densum.

H in ει, πηλὸς πεῖλος, νηλὸς νεῖλος, πένης πένεις.

Ου in ω, ἀδικούμενος ἀδικώμενος, quod & Dores factitant.

Ει in οι, ὄνειρος, ὄνοιρος. In Infinit. tertiæ contract. ουν in οις, χρυσοῦν χρύσοις, ὑψοῦν ψ οις.

Datiuis tertiæ parisyll. auferunt ι subscriptū τῷ σοφῷ, τῶ σοφῶ. dicunt, absq; ι subscripto.

Θα in secundis personis uerborū apud eos paragogice redundat, ut χρῆσθα, οἶσθα.

De Dorica Dialecto.

Ad Dorienses nunc progrediamur, quorum loquendi consuetudo, Pindaro, Sophroni, Epicharmo, omnibus denique Pythagoricis, mirificè placuit.

A in η mutant, ut Iones, & α è crasi factum, ut κἀγὼ κἠγὼ, κἀκ κἠκ, τἀμὰ τἠμά.

E in α breue τρέχω τράχω.

O in α, εἴκοσι εἴκατι, σ in τ mutato, quod in tertijs personis plural. uerborum actiuę uocis

cis facere solent, τύπτουσι τύπτουντι, quę eadem sunt cum datiuo singulari participij, βοῶσι βοῶντι.

Ω in α longum πρώτιστος πράτιστος. unde in genitiuo plurali primæ & secundę imparisyll. ποιητῶν ποιητᾶν, ἀγορῶν ἀγορᾶν. In secunda persona Aoristi primi medij uerbi, ἐτύψω ἐτύψα.

Τ in δ, γῆ δᾶ, φεῦ γῆ φεῦ δᾶ, οὐ δᾶ iura mētū per negationē, hoc est οὐ μὰ τὴν γῆν. Hinc haud scio, an id quod Celtice negando, *non da*, dicimus.

Ζ in δ, quod & Atticum est, κνίζα κνίδα. & in σδ, ut ante dictum est in Aeolibus.

Σ in δ, quo factum est, ut characteristicon σ futuri coniugationis quartę mutetur in δ, in Aoristo secundo, φράζω φράσω ἔφραδον.

Τ & δ in δ, τῆτες τῆδες, γήθομαι γάδομαι, unde gaudeo.

Ει in η, μείων μήων, πλείων πλήων, φέρειν φέρην, quod Aeliorum esse magis uidetur.

Quędam Dorica uocabula τῷ η abundant in fine, ἐγώνη, ἐμίνη, τίνη, pro ἐγὼν, ἐμὶν, τὶν, ἐγὼ, ἐμοὶ, σοί. τᾶ γᾶ τυτύγα, τύνη.

Δ in θ, ψεῦδος ψῦθος soluta diphthongo, qđ Arist. in οὐθεὶς οὐθένα more Attico facit.

Θ post χ interdum abundat, διχῆ διχθά. τριχῆ τριχθὰ, τετραχῆ τετραχθὰ, mutato tono.

Πρὸς, Doricè dicitur προτὶ, nam σ in τ mutant, tum ι addunt. sed & dempto ρ ποτὶ, quę uox apud Dorienses est usitatissima, Hesiod. ὅτ' ἀϊστέφανον ποτὶ Θήβην ἦλθε.

T in κ quibusdam in aduerbijs, πότε πόκα, (nam ε in α, ut superius dictum est, mutant) ὅτε ὅκα, τότε τόκα, ἄλλοτε ἄλλοκα.

K in τ, κεῖνος τῆνος, ει in η uerso, ut superius ostensum est.

Λ in ν sequente θ, uel τ. ἦλθον ἦνθον, βέλτιστον βέντιστον, φίλτατος φίντατος.

N uerbis in ιω uel υω desinentibus adiungitur, ut τίω τίνω, πίω πίνω, φθίω φθίνω, θύω θύνω, χύω χύνω.

N in fine πλεονάζει, ἐγὼ, ἐγὼν, ἐμοὶ ἐμὶν, τοὶ τὶν, expuncto ο.

N in σ in primis pluralibus uerborum actiuę uocis λέγομεν λέγομες, τύπτομεν τύπτομες.

Σ in ξ in futuris, uel aoristis prioribus grauitonorum καθίζω καθισῶ καθιξῶ circūflectendo, ἐκάθιξα, ἁρπάζω, σωξῶ, ἥρπαξα.

Σ in τ, σὺ τὺ, σὸς τὸς, & epenthesis τεὸς, tuus.

tuus. εἰσὶν ἐντὶ sunt, τύπλουσι τύπλοντι, quod & Aeolijs commune est.

O in ε in cōpositis nominibus, ἀνδροφόνος ἀνδρεφόνος, ἀργοφόντης ἀργεφόντης, poeticè addito ι ἀργειφόντης.

Verbis in εω & αω Dorienses ueteres addunt υ, ευαγοδομέω ευαγοδομεύω, ἀμφιπολέω ἀμφιπολεύω, ζητέω ζητεύω, ψάω ψαύω, χάω χαύω.

O in ω, ὄρος ὦρος, κόρος κῶρος, δόμα δῶμα: ου in ω, οὖν ὦν, γοῦν γῶν.

Ει in αι in penultimis uerborum, φθείρω φθαίρω, κτείνω, κταίνω.

ῳ ex οι & αἱ contrahunt, οἱ αἰπόλοι. ὠπόλοι, ην ex αι & ει, καὶ ἤν, κῆν. Satis de hac Dialecto pro instituto nostro.

De Poetica Dialecto.

Denique quoniam Poetæ, ut diximus, cùm in cęteris peruagantur linguis, tum in eo sese oblectant, quod tanquam ab ipsis partum & enatum suum agnoscunt: id quale sit, paucis explicandum. Illud autem esse seiunctum a ceteris idiomatibus quibusdam minimè uidetur, in quibus quid iudicij sit, quid eruditionis Grçcanicę, nescio Sed tamen non a gentibus, apud quas ut cuique loqui placuit, ita lo

quendi

quendi fieret uſus, inuentum eſt, uerum ab omnium gentium eruditiſſimis, aut ut parem rei quam deſcriberent, redderent orationem, aut quod neceſſitas, quam adferunt leges uerſus, cogeret eos ita loqui.

A in medio apud eos abundat metri cauſa, πυλαωρὸς pro πυλωρὸς, ναιεταώσης ἀντὶ τοῦ ναιετώσης. Hom.

Hiatum uocalium in compoſitione nõ effugiunt, ἀποειπεῖν ἐπιελθεῖν. Hom. Il. α. ὤμοι ἀναιδείην ἐπιειμένε.

A in ω uertunt in ſecunda coniug. uerborũ circũfl. ἢ βάω ἢ βώω, βοάω βοώω, δράω δρώω.

H in εα reſoluũt, ἦγλην ἐάγλην, ἦφθλην ἐάφθλην. ἦχθλην ἐάχθλην.

Δ in media dictionis ſępe geminant metri cã, ἄδην ἄδδην, ἀδηφάγος ἀδδηφάγος.

H per ε corripiunt, ſi uſus uenerit, ut id faciendum ſit in metro, νοσηρὸς νοσερὸς, θεληmὸς θελεμὸς.

Latine per ε longum efferre debemus, ut ἐλέησον ἐλέεσον, παντελεήμων, uel παντελεήμων panteleemon.

Ει in εε reſoluunt εἴσατο ἐέσατο. εἶρτο ἐέρτο, ῥεῖθρον ῥέεθρον, ποιεῖσθαι ποιέεσθαι.

E nonnunquam in principio πλεονάζει, ἐλδωρ

δωρ ἐέλδωρ. Hom. εἴκεσι ἐέκοσι, ἔλπον ἐέλπων, ὡς, ἕως, & εἵως. Fit idem & in medio, γενέεσθαι ἐξερέηται, quod etiam Ionum est, abundat & in fine, ut ἦ ε pro ἦ. Hesio.

Aoristum futuri circumflexum, addito ε, grauitono faciunt, τυπῶ τυπέω.

E nonnunquam ob metrum συγκόπουσι, ut κεκέραμαι κέκραμαι.

Preteritũ imperfectũ uerbi a uerbis in σκω deducũt, ἔτυπον τύπεσκον, τίεσκον, Hesiod.

E in η uertunt in infinitiuo primę contract. ποιεῖν ποιήμεναι, quod & alias metri necessitate faciunt sępe, ut τιθέμενος τιθήμενος, ἀετὸς ἀητός. Abundant τῷ η nonnunquã κρῆνον κρήνω, Hom. τὸ δέ μοι κρήηνον ἐέλδωρ.

E in ω in grauitonis, & fiunt circumflexa secundę, τρέπω τρωπάω τρωπῶ, στρέφω στρωφάω στρωφῶ.

Dualis tertiæ parisyllaborum τῷ ι abũdat, ἵπποιν ἵπποιιν, ὤμοιν ὤμοιιν, & quintę, ποδοῖν ποδοῖιν. Abundant & prępositiones, nec solum simplices, sed etiam in compositione, ἐν ἐνὶ, ἐνάλιος εἰνάλιος.

M, geminatur in uersu, ἄμορος ἄμμορος, ἔμαθεν ἔμμαθεν.

Poetę interiecto ν è grauitonis faciunt inflexa.

flexa, ut ἵκω ἱκνῶ οἴχω οἰχνῶ, ἄγω ἀγνῶ.

N geminăt ob metrum, ἐνέπω ἐννέπω, ἔνη ἔννη, ἤνεται ἤννεται. addunt quibuſdā in uerbis ſoni clarioris gratia, πλάζομαι πλάγξομαι, ἐπλάγχθην πλαγχθεὶς. Eiidunt nonnunquàm eandem ob cauſam, καγχάζω καχάζω, φάρυγξ φάρυγγος, φάρυξ φάρυγος, Aduerbijs ĩ θεν, ν đ fine đtrahũt, πρόσθεν πρόσθε, ὄπισθεν, ὄπισθε, ἑκατέρωθεν ἑκατέρωθε.

In compoſitis nominibus multis concurrentibus breuibus ο in η uertũt, θεοτόκος θεητόκος, θανατοφόρος, θανατηφόρος, σαχυολόγος σαχυηλόγος, & hmõi multa. uel additur σ, θεόδοτος θεόσδοτος, θεοσεχθρέα, μογόσοκος, δικάσπολος.

Cadit etiam ο θεοσπέσιος, θεσπέσιος θεόσκελος, θέσκελος, θεόσφατον, θέσφατον.

E υ ob metrum diuidunt, ἐΰξοος εὔξοος, ἐΰζωνος εὔζωνος, ἐΰσφυρος εὔσφυρος. Heſiod. πρὶν λαγέων ὑποβλῆσαι ἐϋσφύρου ἠλεκτρυώνης. geminant ſequentem conſonantem, ut ſyllaba longa fiat, ut ἐϋμελίης εὐμελίης, ἐϋρραφὴς εὐρραφὴς, ἐΰρρος εὔρροος. In εὐγένειος, εὔκομος ε in η uertitur.

Ω in ο, εὐρύχωρος, εὐρύχορος, φυσίζωος φυσίζοος.

O in ω in uerbis tertiæ circumflexorũ, δόω δώω, ὑψόω ὑψώω.

O in secũda contractorum additur ante ω, βοῶ βοόω, ὁρῶ ὁρόω, ὁρῶν ὁρόων. abundat in quibusdam in fine, Ἀνδρογεῶο.

Π geminant, ὅππως, ὅππη, ὁππότερος.

N in σ in nominib. quintę, δελφὶν δελφὶς, ῥὶν ῥὶς: μὴν μεὶς, Aeolicum est.

Σ elidunt in fine propter metrũ, πολλάκι, δηθάκι, τοσαυτάκι, quod in nominib. primæ decl. parisyllaborum faciunt, tum η uertunt in α, adeo ut pro nominatiuo uocatiuum usurpare uideantur, ut μητίετης μητίετα, μητίετα ζεύς.

Epenthesi τοῦ υ utuntur, ἀχέων ἀχεύων, ἀτὰρ αὐτὰρ, ἐδένησεν ἐδεύησεν.

Et in quibusdam abundat ἑξῆς ἑξείης.

Δε accusatiuo additum poeticè aduerbium facit, οἰκόνδε, οὐρανόνδε, ὀλυμπόνδε, ἀγορήνδε.


Hoc Poetarum idioma proprium est, tu si quid offēderis, quod a nobis omissum sit, quoniam unà non poteram omnia, inquit Terentianus Parmeno, tuum est adiungere, & ex æquo & bono iudicare.

FINIS.

ARS VERSIFICATORIA, EX LIB. X. EPITOME

DESPAVT. AVTH. PELISS.

Carminis, & metri, seu versus definitio.



VID est carmen? Oratio strictiori pedum lege coercita, & ornatissimum dicendi genus. Vnde dicitur carmen? A canendo, q sit aptum cantibus, non q lenocinio uocis cantanda sint carmina, sed cũ quadam grauitate pronuncianda. Nam authore Cæsare, qui bene legit carmina, bene cantat: qui uerò bene cantat, malè legit. Quomodo aliter dicitur carmen? Metrum, ex eo q certa pedum mẽsura carmen metiri soleamus. Quomodo aliter? Versus, quod tãdiu uerti debeat, quoad recte constituatur, uel quia uno uersu finito ad principium alterius uertamur.

De

De pede.

Quid est pes? Metricasyllabarum constitutio. Dicti autem sunt pedes; quia quemadmodum pedibus ambulamus, sic carmina quibusdam quasi pedibus incedere uidentur: uel quia per eos, ueluti scalarum gradus, carmina scandimus. Quid est scansio? Legitima metri in singulos pedes distinctio. Dic aliquot ex uulgatioribus carmina. Hexametrum, Pentametrum, Sapphicum, Asclepiadeum, Phaleuciũ. Habe'sne super his regulas? Habeo, Ostende.

Hexametrum carmen, eiusq́ue compositio.

Hexametrum senis carmẽ pedibus fit, & usq.
Dactylus est quintus, sextã sibi uult regionem
Spondeus: reliquisq́ue locis sit uterlibet horũ.

Dic sensum. Carmen hexametrum sex pedibus constat: quorum quatuor primi sunt dactili uel spondei: quintus tantùm dactylus; sextus uerò spondeus. Quid est dactylus? Est pes constans tribus syllabis, quarum prima est longa, & duæ ultimę breues, ut, Scrībĭtĕ, cārmĭnă. Quid est spondeus? est pes constans duabus syllabis longis: ut, Dotēs, scrībunt. Affer exemplum carminis hexametri, Arma, uirumq. cano, Troiæ qui primus ab oris, Scãde,

Arma,

Armă uĭ, dactyl. rūmquĕ c , dactyl. nō Trō, spond. īæ quī, spond. prīmŭs ăb, dactyl. ōrīs, spon. Scande, id est, distingue pedes metire carmen &c. Cur dicitur hexametrum? Quia sex pedum ictibus ipsum metimur, ab ἕξ, id est, sex, & μέτρον, id est, mensura. Quia in id annotari præcipit Despauterius? Hæc sequenti litera contenta.

Pedes nothi siue illegitimi in hexametro.

Hæc te legitimè docui; nam sæpe poetæ
Ipsa minus seruant : tu quanta licentia cautus
Est permissa, uide, ne quando turpiter erres :
Nāque rei grauitas, quinta in regione locauit
Spondęū, ueluti, Magnum Iouis incrementū.
Datque pedes alios Maro, tu puer elige legē.

Explica. Heroici uersus pedes legitimi, id est, ex carminis lege debiti, sunt dactylus, & spondęus. Admittuntur tamen nothi, id est, illegitimi per poëticam licētiā, quam cauebis, quia rarò occurrit; nec nisi in magnis operib. eorū poetarum, qui extra omnem inuidię aleam positi sunt. Poetę itaque in quinta regione sæpe spondęum locant, ubi rei grauitas & maiestas significatur, aut mæror & languor, tamen id raro est faciendum. Virgil. Chara deum soboles,

les, magnum Iouis incrementum. Idem: Tu'ne ille Æneas, quem Dardanio Anchisę? Et iterum de Sinone maximam tristitiam, languoremque simulante. Constitit, atq; oculis Phrygia agmina circumspexit. Hi uersus spondaici dicuntur. Quandoque sexto loco est dactylus, sed vix nisi hypermeter locum habeat. Virgilius: At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida. Ob eam rem tales uersus dactylici appellantur. Reperiuntur & alij pedes in diuersis locis hexametri, qui sunt Iambus, Anapęstus, Proceleusmaticus, nisi cęsuræ licentiam esse velis. Tu licentiam cauebis, nisi tantus fueris, quanti hi, apud quos ea licentia reperitur: & tum ita cautè & ita parcè vteris, ut ueteres. Qui sunt hi pedes, quorum modò meministi? Iambus, est pes constans ex duabus syllabis, priore breui, altera longa, ut dŏcēs. Anapæstus, pes constans tribus syllabis, quarũ duæ primæ sunt breues & vltima longa, ut ănĭmās. Proceleusmaticus, pes qui cõstat quatuor syllabis breuibus, ut răĭĕtĕ. & vertitur in dactylũ per synæresin, quasi i, uocalis fiat consonans.

Est autem synæresis duarum syllabarum in unam propter uersum contractio.

Subijce reliqua.

Vltima versus anceps.

Vltima cuiusque est communis syllaba versus.
Ne credas esse in sexta regione trochæum.

Vltima syllaba cuiuscunque uersus, est anceps, id est, communis, siue ad placitum, quod dixit Alexander.

Pentemimeris cum alijs cæsuris.

Per pētemimerim breuis est producta licēter.

Pentemimeris est, ubi post duos pedes manet syllaba partem orationis finiens, ueluti, Oia uincit amor, hic post duos pedes ŏmnĭă vīncĭt ă, manet syllaba mor, finiens hanc orationis partem, amor, cuiusmodi syllaba inueni tur licenter produci, si naturaliter sit breuis, ne dicatur tertio loco esse iambus, quem non recipit heroicum, teste Quintiliano. Alibi,

At tibi Tymbre caput Euādrius abstulit ensis.

Pentametrum carmen.

Pentametrum, uult quinque pedes, pes tertius esto
Semper spondeus: quartus, quintusque anapæstus.
In reliquis spondeus erit, uel dactylus, vt vis.

Pentameter uersus constat quinque pedib. quorum tertius, semper spondeus est, quartus & quintus anapæsti: reliqui spondei, aut dactyli,

ctyli,uel his milli,ut uis. Semper autem adsit pentemimeris,siue cæsura. Exemplum, Omnibus, inuideas liuide, nemo tibi. Metire, ōmnĭbŭs, dactyl. īnuĭdĕ, dactyl. ās lī, spond. vĭdĕ, nē, anapæst. n ō tĭbĭ, anapæst. Alijs scandendo post duos primos pedes faciunt cæsuram, deinde duos dactylos sumunt cum altera cæsura: sic, Arte leuis currus, arte regendus amor, ārtĕ lĕ, dactyl. vīs cūr, spond. rus, cæsura ārtĕ rĕ, dactyl. gēndŭs ă, dactyl. mōr, cæsura. Vnde dicitur pentameter? A πέντε, id est, quinque, & μέτρον, mensura, quia quinque habet mensuras, seu pedes. Pentameter uersus cum hexametro iunctus facit carmen elegiacum miserijs, & alijs etiam rebus scribendis aptū quale est, Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè Diues ab exili progrediere loco. Et dēt cum eo sensum concludere, aut suspendere, ita ut in sequentibus duobus penitus absoluatur.

Asclepiadeum carmen.

Vult Asclepiadis uersus spondeon habere
Principio, binos hinc ritè capit choriambos:
Pyrrichius sequitur, quo non uelocior alter.

Asclepiadeus uersus constat spondeo, duob. choriambis, & pyrrhichio, ut, Sanctorum meritis inclyta gaudia. Distingue pedes, Sāncto,

ſpond.rūm mĕrĭtis.choriam.īnclytá gāu,choriamb.díá,pyrrhic.Quis pes choriambus? Qui conſtat quatuor ſyllabis,quarum prima eſt longa,ſecunda breuis,tertia breuis, quarta longa, ut nōbĭlĭtas.Quis pyrrhichius? Qui ex duab. breuibus conficitur.Vnde dicitur uerſus Aſclepiadeus?ab Aſclepiade inuentore.

Sapphicum carmen.

Quinque pedes Sapphus carmen capit: eſſe trochęus.
Vult,primus, quartuſque, & quintus: tertius autem
Dactylus:ipſe locum ſumes, ſpondee,ſecundum.
Hoc carmen, poſt treis uerſus ſibi iungit Adonis.
Metrum: quod ſic fit: ſpondeum dactylus anteit.

Carmen Sapphicum conſtat trochęo,ſpondeo,dactylo duobus trochęis:ueluti, Vt queāt laxis reſonare fibris. Metire,ūt quĕ, trochęus, ānt lā,ſpondeus,xīs rĕ sŏ,dactylus, nārĕ, trochęus,fibris,trochęus.Huic carmini, poſt tres uerſus,ſubditur Adonium, ſiue Adonicum ſic dictum ab Adone puero,uel ab Adone inuentore,dactylo & ſpondeo conſtans,ut Nūbĭbŭs

ātrīs,

ātrīs, Cōndĭtā nūllām, &c. nomen habet à Sappho puella, primùm hoc genere apud Græcos usa. Quid est trochæus? pes qui ex longa & breui constituitur, ut sōlŭ̄.

Phaleucium carmen.

Quum facies carmen, quod composuisse Phaleucus.
Dicitur, in prima spondeus erit regione:
Dactylus inde datur, triplicem cui iunge trochæum.

Phaleucium constat spondeo, dactylo, & tribus trochæis, ut passer deliciç meæ puellç. Scāde, Pāsser, spond. dēlĭci, dactil. æ mĕ, trochæ æ pŭ, troch. ēllæ, troch. Nomen accepit à Phaleuco inuentore, & dicitur aliàs hendecasyllabū, quod sine synalœpha, & eclipsi undecim est syllabarum.

Quæ sunt scansioni figurę potissimum deseruientes? Synalœpha, Ectlipsis, Synęresis, Dięresis. Profer de his regulas.

M, necat ectlipsis, ceu uocalem synalœpha,
Dictio dum sequitur, quę à uocali incipiatur.

Ectlipsis est m, literę cum sua uocali, detractio, absumptio, uel interemptio, quoties dictio aliqua in m, literam definit, & dictio sequens à uocali inchoatur, ut in hoc uersu:

Virtutem primã esse puta, compescere linguã. Scande, Vĩrtũ, spond. tẽm pĩ, spondeus, mẽsse pũ. dactyl. & a, absumpta, tã cõm, spond. pẽscẽrẽ, dactyl. lĩnguãm, spond. Item, Multum ille, & terris &c. Scanditur sic, Mũlt ĩl, lẽ tẽr, &c. Aliquando tamen m non interimitur. Ennius: Insignita ferè tum millia militũ octo. Priscianus: Et formam contra positarum imagine coni: S, quoque sola aliquando interimitur. Lucretius, Arboribus ueteres decidere fal cibus ramos. Aliquãdo cum uocali prçcedẽti. Virgilius: Aut ouium fœtus, aut urentes culta capellæ, Sic scanditur, Aũt ŏuĭ, dactyl. ũm fœ. spond. tãut ũ, spond. rẽntẽs, spond. cũltă că, dactyl. pẽllæ, spond. Synalçpha, est uocalis detractio, quoties in eam dictio desinit, & sequens a uocali exordiũ sumit: vt Sera nimis uita est crastina, uiue hodie. Scande, Sĕră, nĭ, mĭs, vĩ, tẽst, crã, stĭnă vĩ, vŏdĭe. Quod si uersus finiatur in m, uel in uocalem, & sequens à uocali incipiatur, nulla erit ectlipsis, aut synalœpha, præterquã in paucis uersibus, q dicũtur hyper metri, ubi in uersu finito manet syllaba in m, uel in uocalem desinẽs, quç à principio alterius uersus absumitur. Virg. Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque Aspicit, & terras, &c.

Vocalis

Vocalis non absumpta, sed correpta tantùm.

Non perimens longam raro breuiare poeta
Consueuit, ueluti, Sunt insulæ ore canendæ.

Vocalis ante uocalem non semper absumitur, sed aliquando longa solùm corripitur: quod notandum magis quàm imitandum censeo. Virgil. Et longum formose uale, uale, inquit Iola. Idem: Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt? Prisc.
Nunc magno nobis sunt insulæ ore canendæ.

Vocalis ante uocalem immutata.

Id mirare magis, uocalem nil uariatam
Interdum cernes: uelut, Ionio immenso.

Aliquando uocalis manet inuariata, sed id quoque magis notandum, quàm imitandum. Ouidius: Iactari quos cernis in Ionio imméso. uersus est spondaicus. Virg. Et succus pecori, & lac sub, &c.

O ET HEV.

Heu, ò non perimes: at o, interdum breuiabis.

O, & heu, ante uocales, integræ manent. Ouid. O vtinam tunc cum Lacedæmona classe petebat. Virg. Te Corydon ò Alexi, trahit sua quemque uoluptas. Ouid. Heu ubi pacta fides? ubi quæ iurare solebas? &c.

Vocalis ante vocalem in eadem dictione absumpta.

Vocalem perimunt plerũque in nomine eodẽ:
Sic Maro docte refers, aluearia vimine texta.

Synalœpha fit nonnunquam in eadem dictione. Virg. Seu lento fuerint aluearia vimine texta. Scande, ăl, uār ă. Propertius: Eosdem ha buit secum, quibus est elata, capillos. Scande, ōs d'hăbu, it se', &c.

Synæresis nulli vitanda.

Omnibus ista licent, huic, cui, dij, dijs, quoque dehinc, dein,
Proin, deest, semianimis, prout, deorsum, præhendere, seorsum.
Sic ij, sic ijsdem. Quædam diuisa leguntur.

Synæresis, est duarum uocalium naturaliter diuisarum, in unam contractio, ut Thesi, pro Thesei: Pheton, pró Pphaeton, auris, pro aureis, ut Atria dependent lychni laquearibus auris. In sequentibus solent esse licita in carmine, huic, cui, dij, dijs, dehinc, dein, proin, deest, semianimis, semiustus, semihomo, prout, deorsum, seorsum, præbendo, ij, ijsdẽ: ut, Huic coniux Sichæus erat. Cui pendere sua pateretis, &c. *Quædam diuisa, &c.* Nam Huic, interdum dissyllabum est. Sidonius: Assurrexit

huic,coxit quod torridus Auster. Albinus: Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis.

Diæresis.

Scandere si bene vis,tu nosce diæresin aptè,
Ex vna per quam duplex fit syllaba semper:
Sic syluæ,vates Lyricus trissyllabon effert.

Diæresis, est unius syllabæ in duas diuisio, vt syluæ dissyllabum est, sed uates lyricus Horatius per tres syllabas,syluæ, dixit,ideo notitia huius figuræ ad scansionem necessaria est Diæresis,id est, diuisio. διαιρέω.

I uocalis ubi malè putatur esse consonans.

Nominib. Græcis nõ cõsonat I, uel Hebræis.
Quapropter dices Iacobus,Iambus,Iaspis:
Profer Iulus,Iapis,Ioannes,& Iesse:
Suaueq; ab indoctis laniatũ nomẽ IESVS.

I,litera neque in Græcis, neque in Hebræis vnquam est consonans,unde Iacobus,quatuor syllabarum est,non trium: Iambus, Iaspis, Iulus,Iesse,Iason,Ioseph,Iacob,Ionas,&c.trium: Iob, duarum: IESVS autem semper trisyllabum est, in quo bis peccauit Alexander ibi, *Dat IESVS um,quarto &c.* quòd IESVS dissyllabum protulerit,ut i,fit consonans, & e, ante s,producendum breuiauerit.

QVOT SVNT REGVLÆ generales quantitatis syllabariæ?

Duodecim. Planum fac.

Prima, de Positione.

Dum postponuntur uocali consona bina
Aut duplex, lõga est positu. Qđ si duo subsint
Finali, rarò positu producitur illa.

Vocalis naturaliter breuis, quàm duæ consonantes continuò sequuntur, ita ut una consonã tium in eadem dictione cum uocali ponatur, aut quam in eadem dictione sequitur duplex, id est, x, & z, vel i, consonans in medio dictionis non compositæ, inter duas uocales posita, ut Maia, producitur ea uocalis positione, siue positu consonantium, uel duplicis. Cur dixisti uocalis? Quia omnis syllaba, gratia uocalis, quanta dicitur. Cur dixisti, ita ut una consonantium, & cætera? Quia non oportet utramque in eadem syllaba locari, sed una potest esse in fine unius dictionis, & altera statim in principio alterius dictionis sequentis. verbi gratiã, a, in at, corripit: eadẽ si consonans in principio sequentis dictionis ponatur, producetur, Virg. At regina graui, &c. Exempla regulæ sunt tempus, annus, lustrum, dixerunt, azymus,

mus,aio,&c.Consonans bis posita. pro duabus habetur:ut prima in annus,&c.Declara illud: *Quòd si duo subsint,&c.* hoc est, oportet ex illis consonantibus alteram semper esse iunctã cum uocali. Nam si qua dictio terminatur in uocalem breuem, & huic subiicio in uersu dictionem,in cuius initio sint duæ consonantes, fallor, si puto illam uocalem finalem breuem posse produci positione:quamquam hoc factũ aliquando reperiatur,ut apud Iuuenalem, Occulta spolia,& plures de pace triumphos.Occul.spond.ta spŏl, dactyl.hic ta,longa positione consonantium sp. sed quod tam rarum est non trahendum in exemplum.

Regula secunda,de liquescentia.

Cum muta liquidã scribens in syllaba eadem,
Ancipitem ponas uocalem,quæ breuis esset:
Hãc tamẽ in prosa semper breuiare iubemus:
Sunt l,& r,liquidæ:queis rarò iungimus n, m.

Quando uocalem natura breuem sequũtur muta & liquida,eandem cum sequente vocali constituentes syllabam,ita tamen,ut præcedẽs uocalis in eadem dictione ponatur,ipsa est anceps in uersu,in prosa uero semper correpta. Mutæ sunt b, c, d, f, g, k, p, q, t: Liquidæ l, & r,& aliquando m, n, Ouidius. Et primo

volucri

uolucris similis,mox uera uolucris. Virgilius, Albaniq́ue patres,&c. Ouidius,Tempus Atla ueniet. Sic ibidem, Id metuens solidis poma ria clauserat Atlas,&c.De n,& m,rariora sunt exempla,ut arithmos,id est, numerus, & cygnus,quæ corripiuntur. Cur dixisti in regula, Vocalem natura breuem? Quia quæ sine positione producitur, nulla liquescentia potest corripi, ut prima in matrimonium &c.Cur dixisti eandem cum sequente &c.Quia alioqui liquescentia locum non haberet:ut abnuo,ab ruo,&c.

Regula tertia,de diphthongis.

Diphthógum produc in Græcis atque Latinis:
In Græcis semper,uerum subeunte Latina
Vocali breuio,ueluti præit,atque præustus.

Omnis diphthógus naturaliter producitur, tam in Græcis,quàm in Latinis,ut musæ, cœna,audio,euge. In Græcis quidem etiam subeunte uocali,ut Æacus, Æagrus, &c. In Latinis uerò tum corripitur sæpius,ut præesse,præbendo,tum omnia à præ,composita sequête vocali. Virg. Stipitibus duris agitur, sedibusve præustis.Ouid. Raptaturq́; comis p vim noua nupta reprĕhésis.Quid est diphthógus?Duarũ vocaliũ vim suã retinentium in eadem syllaba

complexio

complexio. Vnde dicitur? à δὶς, id eſt, bis & φϑόγγος, ſonus, quaſi duarũ uocalium ſonus.
Quot ſunt diphthōgi? Sex, æ, œ, au, eu, ei, yi: vt, ſæpe, fœnum, aula, Euterpe, treis, Harpyia.

Regula quarta, de vocali ante vocalem.

Vocalis breuis ante aliā manet vſque Latinis.

Vocalis, ante uocalem in Latinis dictionibus corripitur, ut Marĭus, Marĭa, Lucĭus, Lucĭa.

Quinque exceptiones.

Ni capit r, fio, produc: & nomina quintę
E, ſeruant longum, ſi præſit i, ceu ſpeciei.
Anceps ius erit patrio: dic ſemper alius:
Alterius, breuio tantum, commune fit ohe.
Caius, & Cai, produc, conformia iunge.

Exceptiones ſunt quinque: Prima, Fio, producitur, ubi abeſt r, ut Fīebam, Fīam, ubi uerò adeſt r, corripitur, ut Fĭeri, Fĭerem. Secunda, Nomina quintę declinationis producũt e, ante i, in genitiuis datiuisq́; , ſi pręcedat i, ſicut ſpeciēi: ſecus corripiũt, ut fidĕi, rĕi. Tertia, Pronomina ſecundę declinationis, & nomina habentia ſecundā declinationem pronominũ, uariant i, ante us, ut unius, illius quę in proſa tantũ producuntur. Alīus in genitiuo tantùm producitur. Alterĭus ſolũ corripitur. Quarta,

Ohe,

Ohe, interiectio exclamantis, & satiati, uariatur. Quinta, Pompei, Cai, Vultei, similesq; uocatiui producuntur, & ubicunque i, consonans in uocalem uertitur, ut fit in Caius trisyllabo. Producuntur etiam ueteres genitiui, & datiui in ai, ut aulai, terrai, &c.

De uocali ante vocalem in Græcis.

Hic Græci uariant, nec certa lege tenentur.

Græcorum quędam producunt uocalem ante uocalem, ut āer, latria. Quædam corripiũt, vt Sophīa: de quibus non potest dari certa regula.

Regula quinta, de deriuatis.

Deriuata patris seruabit dictio normam,
Cõsona si patris maneat, docet istud aratrum:
Multa tamen tolles post declarata, uel antè.

Syllabæ tanta est in deriuatiuo, quanta fuit in ea primitiui parte, unde immediatè deriuabatur, si consonans primitiui maneat in deriuatiuo: ut legi præteritum, priorem producit: ergo etiam legeram, legerim, legissem, legero, legisse, quia à legi formantur. Lego autem priorem corripit, ergo etiam legebam, legam, legerem, &c. Item supinum arātum producitur, ideò etiam quod ab illo fit arātrum, nõ posita tantùm, sed natura ipsa, &c. Cæterum multa

contra

contra primitiuorum regulas, aut producuntur, aut corripiuntur, quorum nonnulla iam dicta sunt, plura declarabuntur.

Regula sexta, de compositione.

Simplicis obseruat mensuram compositiuum.
Quamuis diphthongus, vel uocalis uarietur.
Hanc legē spernunt dicus à dico, innubus, atq;
Pronubus, ambitus, nihilum, cum semisopitus,
Peierat à iuro, cum deierat agnitus, & cog.
Connubium uaries, ab itum, comitia, dicas.

Compositum sequitur simplicis regulam, & contrà, etiam diphthongo, aut uocali mutata, ubique tamen sunt regulæ obseruandæ positionum, & uocalium ante uocales, ut ludo, collūdo, lædo, illīdo, amicus, inimicus, ta´beo, inta´beo, taceo, reticeo, facio, reficio, &c. Per hanc regulā, propositiones in compositione quantitatē priorem seruāt, ut a´beo, a´damo, subeo, auoco, dedu´co, amo´ueo, &c. *Hanc legem, &c.* Ab hac regula demuntur A dīco, nomina in dĭcus, ut causĭdicus, maled cus, &c. A nū-bo, pronŭba, innŭba. Connubium, uariatur. Ambītus, ta, tum, participium ab ambio, ambis, producitur. Ambĭtus nomen semper corripitur. Nihilum, à ui, id est, non, & hilum, res nullius pretij, utpote fabæ nigrum, qđ producitur:

citur: nihilum autem corripitur. Lucret. De nihilo, nihil, in nihilum nil posse reuerti. Sopio, primam producit, at semisopitus eandem corripit. Cętera satis patent, pręter comitium, quod à simul itando dictum uolunt, & producit primam etiam, &c.

SE, & DI.

Se, produc, & di, pręter dirimo, atque disertus.

Se, & Di, pręposítiones Latinę inseparabiles producuntur, ut Sēgrego, dīduco, &c. Corripiuntur tamen Dĭrimo, Dĭsertus.

RE.

Est re, breue, at refert à res, producere debes:
Reijcit, & reicit. Nam quę iacio tibi format,
I, prius interdum tollunt, ut corripiantur.
Addit uel demit metri grauitate poeta.

Re, pręposítio inseparabilis corripitur, ut rĕdeo, rĕditus, pro annuo prouentu, rĕnuo, &c. *At refert, &c.* Rēfert, à res, compositum producitur, alioqui corripitur: Reijcio àre, & iacio, producit positu. quia in eo uerbo i, duplex efficitur, ubi autē corripitur, i, consonans abijcitur: quod etiam contigit in alijs compositis à iacio, ut adijcio, uel adicio, abijcio, uel abicio, subijcio, uel subicio, &c. Ea abiectio, in prosa barbarismum facit, in carmine in his compositis

ſitis à iacio omnibus licet. Poetę profectò plerumque metri gratia aliquid addunt, aut demunt. id in proſa eſſet barbariſmus, præterquã fortè in paucis iam olim in proſa admiſſis.

PRO.

Eſt, pro, breue in Gręcis, pro longũ ritè Latinis.

Pro, Græca præpoſitio, pro ante, ſemper corripitur, ut prolepſis, prologus, Propheta, &c. Pro, Latina prępoſitio producitur, ut Prodo, proficio, &c.

Pro, correptum.

Corripias pronepos, profugat, profugit, proficiſcor,
Et procio, peto ſignificans, cui iunge procollo,
Atque profana, profeſſa, profunda, profeſta, pro fari,
Propino, uario, procuro, iungo, profundo.
Sic bene doctè locas, ꝓpello, propugo, Lucret.

Dictiones literę inſertæ corripiũt pro: inter quas propino, procuro, profundo, propello, propago propagas uerbũ, uariant. Propello quidẽ, & propago, apud Lucretium potiſſimum.

I, & O, in compoſitis.

Pars ſi componens, fini priori, uel o, donat,
Sic breue. cũctipotẽs, & Timotheꝰ manifeſtato
Quòd ſi nõ ſemper manet i, producito ſẽper.

Habet hæc regula partes duas, quarũ prior est, Dictiones compositæ, siue Latinæ, siue Grecæ, terminantes in i, primam partem compositionis, breuiant i, Bĭfidus, trĭfidus, sesquĭpes, semĭuir, uitĭ sator, &c. Posterior, Dictiones Græcæ terminantes in o, primam partem compositionis, breuiant illud o, ut Dorŏthea, Samŏthracia, Timŏtheus &c. *Quod si non &c.* Hoc si ex declinatione tantum proueniret, produceretur, ut Tantīdem, tantīcunque, quantīcunque.

Exceptio.

A quotus, atque dies, rectè uariato, at ibīdem
Et tibīcen erit longum, cui iungis ubīque.
Protrahit Ausonius matricīdam grauitate.
Lagōpus, geolophus, atque Theophila produc
Cum Leucopetra: Geometra iungitur aptè.
Quod medius facit atq; dies producito sēper.

A quotus, & dies fit quotidie, & hinc quotidianus, & uariari potest utrumque. At ibīdem, tibīcen, ubīque producunt i, scilicet secundo loco positũ. Ausonius metri grauitate, producit matricīda in Monostichis Cæsarum, Matricīda Nero proprij uim pertulit ensis. Lagōpus, auis leporino uillo pedes habēs. Geōlopus, id est, terrę tumulus. Theōphilus, Theōphila

phila propria. Leucopetra, loci nomen, & interpretatur alba petra. Geometra, notę significationis, producunt ō, Meridies, quasi medius dies, producitur semper.

Regula septima, de præteritis dissyllabis.

Præteritiua tenent primam dissyllaba lōgam,
Tolle bibit, scidit, & fidit, ac tulit, ortaque do, sto.

Præterita dissyllaba producunt priorem, ut ueni, feci, uidi, &c. Tolluntur sex, bĭbi, scĭdi, fĭdi, tŭli, dĕdi, stĕti, quæ breuiant.

Regula octaua, de geminatis præteritis.

Corripiunt binas geminantia, ceu ceciderunt,
Tolle ceciderunt a cædo, a pedo, pepedi.

Prętenita geminantia principium, primam & secundam syllabam corripiunt, nisi positio impediat, ut tĕtigi, peperi, pepuli, tutudi. In cĕcidi uerò a cędo, & pĕpedi, prima tantum corripitur, ideo excipiuntur.

Regula nona, de supino dissyllabo.

Cuncta supina tenent primã dissyllaba longã,
Pręter nata sero, cieo, lino, sto, sino, sisto.
Do, ruo, cum queo, eo, reor. At staturus, atque dat,

Supina dissyllaba producunt priorem syllabam:ut vīsum,lūsum, &c. *Prater nata , &c.* Eximūtur,Sátum,à sero:cĭtum,à cieo: lĭtum, à lino.ſtátum à ſto, & ſiſto:sĭ tum,à ſino : dătum,à do;rŭtum,à ruo.quĭ tum,à queo.itum, ab eo.ratum,à reor.Staturus,contra primitiui naturam,primam producit.

Regula decima.

Prætum,uocalem de vi,reliquis dabo longam.

Omne ſupinum non dictum, mutans ui ſyllabam in tum,producit uocalem ante tum;ut expeditum,petītum,&c.

Regula undecima,de uerborum crementis.

A,in crementis uerborum.

A creſcens produc, niſi crementò dare primo.

Crementum uerbi eſt,vbi exceditur ſecunda perſona,ſingularis numeri , pręſentis temporis,indicatiui modi, actiuę uocis;quæ ſi defuerit,qualis foret oſtenditur,ut amamus, creſcit,quia excedit hanc perſonam amas. Oſcularis,creſcit,quia ſi ſecunda perſona actiuæ uocis foret,ipſa eſſet oſculas.Vocalis ī primo cremē to eſt,quę erat ſecūdę perſonæ ultima;reliquę in ſecūdo cremēto eſſe dicuntur, A,igitur ī amni cremento producitur: ut, Amāmus,legebāmus.Excipitur in primo cremēto do,das,dare,

cum

cum primę cõiugationis compositis ut venundabam, pessundābam, &c.

E, in crementis.

Ni, subit r, produce, semper. quum subit r, de
Cum socio ternę breue præsens. protrahe reris
Semper e, corripitur, præ ram, rim, ro: boris, adde.
In reliquis produc, quamuis steterunt Maro dicat.

E, in utroque cremẽto, ꝑducitur, ut Ame'mus, amare'mus, doce'mus, lege'bam, nisi postponatur r: nã tunc corripitur omne pręsens tertiæ coniugationis, ut Le'gor, le'geris, le'gere, lege're'mus, le'gerem. Cum socio in pręterito imperfecto subiunctiui modi. Re, ante re, uel ris, producitur: ut legere'ris. E, ante ram, rim, ro, sẽper corripitur, ut Le'gerã, le'gerim, le'gero. Sic Amaueram, &c. beris, uel bere corripitur. ut, Ama'beris, ama'bere. Cętera producuntur, ut steterunt, legērunt, qualia Virgilius, & plures licenter corripuere. nos non imitabimur.

I, O, & V, in crementis uerborum.

I, produc primo cremento, dūmmodo quartę
Est uerbum, debet semper producier iui.
Corripe p̃teritis ĭmus undique: uenimus edit.
In subiunctiuo rimus, ritisque licenter.

Inuenies;nolīto,uelīto,uelīmus, & itis,
Et simus, sitis, produc. Erit u breue,non o.

I,in primo cremento uerbi quartæ coniugationis semper producitur, ut Audīmus, audītis,audīre,audīrem, &c. Ibam,ibo, &c. Item preteritum in iui,producit ubique i,ante ui,ut Petīui,petīuerā. Imus in omni præterito corripitur, ut, Venĭmus,audiuĭmus: nisi in subiunctiui præterito,in quo rīmus & rītis,licenter producuntur&c. O,in cremēto producitur, ut Amatote.V, uero corripitur, ut uolŭmus, possŭmus,quŏ sŭmus.Cętera nota sunt.

Regula duodecima, de nominum crementis.

Crementum nominis,pronominis,& participij,est excessus obliqui i syllaba uel syllabis, supra nominatiuum eiusdem numeri, ut puer pueri,qui, quorum. In cremento autem plurali,a,e,& o,producuntur, ut harum, rerum, horum.i, & u, corripiuntur,ut artibus, artubus. Prima declinatio in singulari non crescit, nisi pro æ,dicatur ai,de quo satis dictum est. Nec quarta, nisi in datiuo, ubi est uocalis ante uocalem, ut de quinta in uocali ante uocalem dictum est. Ergo a secunda auspicabimur.

Crementum secundæ declinationis.

Quæ sequitur primam tātùm producit Ibēri.

In secūda declinatione unicum producit pe nultimam genitiui, Iber, ibēri, & eius compositum Celtiber, Celtiberi.

Tertiæ crementum A, & O.

Dic atis, Onis, ab o, ser, inis breue, pro trahis enis.

On, si uertis in o, mensus fit qui fuit antè.

A, corripitur, ut Poema poemătis, ab o, producuntur ēnis, & ōnis, ut Cato Catōnis, Anio Aniōnis Inis, ab o, corripitur, ut Virginis, &c. Si Græca in on, amittant n, seruant in obliquis quantitatem, quam habuerūt, ut Agamemno Agamemnŏnis, Briton Britŏnis, sic Brito Britŏnis, Saxo Saxŏnis, Macedo Macedŏnis, &c. quæ corripiuntur.

C.

Dices halēcis, nec spernes Melchisedēcis.

Halec halēcis, Melchisedech Melchisedecis producunt penultimam genitiui.

D.

Dauid Dauīdis, dices, Bogudis Bogud, optat.

Producitur etiam Dauid Dauidis, Bogud Bogudis corripitur.

Masculeum dat alis, neutrū formatur ab alis,

Elis,cum Solis, produc: reliquis breuiatis.

Al,alis masculini gener. corripit penult. ut Sal,salis: Hannibal Hannibalis,&c.Neutra producuntur,ut capital capitalis, &c.Sic,Michaelis, Danielis,&c.Sol solis. Reliqua corripiuntur.

On,nimis incertum est. En inis,dat: cætera produc.

En,inis,corripitur,ut Nominis.Cætera producuntur,ut Pæanis,Damonis,&c. Delphinis. De on,non potest tradi certa regula: nam multa producuntur,ut Babylon Babylonis;multa corripiuntur,ut Canon canonis,&c.

R.

Aris, produco neutris. Nectar, iubar, aufer. Protrahe Nar: Naris, furis, ueris, Ricimeris, Byzer,Ser,& Iber:in ter,Græcum,æthere dempto.

Oris,ab or,produc.cum neutris corripe Græca Arboris, & nemoris, breuies, indictaque cuncta.

Aris ab ar,neutri generis,producitur,ut laquearis,&c.Tolluntur nectaris,iubaris, & quadam propria, ut Hamilcaris, &c. *Potrahe Nar, &c.*Producuntur, quæ sequuntur in litera. Nar nāris, fluuij nomen. Fur fūris,

ver vēris: Ricimer Riciměris, viri proprium: Byzer Byzeris, populus: Ser Seris, populus a Sera vrbe, apud quam sunt lanigera arbores, vnde serica uestimenta conficiuntur. Iber Ibēris, Hispanus. *In ter, Græcum, &c.* Græca in ter, producunt penultimam genitiui, vt crater cratēris: character charactēris. Excipiuntur Aether, ætheris. *Oris ab or, produc, &c.* Produc oris, ab or, ut amoris, &c. Sed corripe neutra, ut marmoris, &c. Et Græca, ut Castoris, Hectoris, cum nemoris, arboris, & cum omnibus non dictis, ut mulieris, guttŭris, martyr s, &c.

AS.

Atis, ab as, produc. Ab anas, a'natis, breuiato.
Cætera corripies, nisi uasis: dico uadis, vas.

As, a'tis, porrigit, ut pietas pietātis, &c. Demuntur anas anătis, auis, &c. ut mas măris, uas uădis, & Græca mittentia genitiuum in ădis, ut Pallas Pallădis, &c.

ES.

Es, breuiat: nisi cum locuples, mercesque, quiesque:
Sic hæres: Græcum iungo, quod præbuit etis.

Es, breuiat penultimā genitiui, ut miles militis, Interpres interprĕtis, Ceres Cerĕris, &c.

Produ-

Producũtur uerò locuples locuplētis, merces mercēdis, quies quiētis, hæres hērēdis, & Græca quæ habent in genitiuo ētis, ut magnes magnētis, tapes tapētis, lebes lebētis, &c.

IS.

Is, breuiat. Tollo glis, gliris, quotque dat itis.
Et Psophis, Crenis, Nesis. Græcum, quod in n, fit.

In is, corripiunt penultimam genitiui, ut lapĭdis, Isĭdis, cinĕris, &c. Sed porrigunt Glis glīris, & quę habent itis, ut, Dis dītis, sic Samnis, Quiris, Lis, & Psophis, īdis, urbs. Crenis, idis, nymphæ nomen. Nesis, īdis, insula adiacens Campaniæ.

Adde Græca in is, quę per n, etiam finiuntur, ut Salamis, Salamīnis, Thracis, Thracīnis, &c.

OS.

Protrahit os, tria corripiunt bos, compos & impos.

Os, in obliquis penultimā producit, ut Rhinoceros, Rhinocerōtis, custos, custōdis, flos, flōris, Tros Trōis. Minos Minōis, Heros Herōis. Tria, bos bŏuis, cōpos compŏtis, impos impŏtis, corripiunt.

VS.

Vs, breuiat, tollas præ, dis, ris, tis, quod habebit V, præ.

V, præter pecudis, Ligurisque, intercutis adde.
At melius, meliōris habet, conformia iunge.

Vs, penultimam genitiui corripit, ut corpŏris, uelleris, tripŏdis, œdipŏdis, &c. Producunt quæ habent utis, udis, aut uris, ut, Virtūtis, subscūdis, iūris, sic incūdis. Corripiuntur pecŭdis, Ligŭris, a Ligus, & intercus, intercŭtis. Cōparatiua producuntur, ut melioris, &c.

BS. MS. PS.

Cōsona cū pręit s, patrij penultima curta est:
Hinc Cyclops, seps, gryps, conops, cercops, remoueto,
Atque Europs, Hydrops. Fuge Cycoplis, atq; Dolōpis.

Nomen in s, pręcedēte consonante, ut B S, M S, P S, penult. genitiui corripit, ut Lelaps, Lelăpis, nomen canis, &c. producūtur Cyclops cyclōpis, gigas unoculus: Seps sēpis, serpens, gryps, gryphis, animal: conops conōpis, id est, culex: Cercops Cercōpis, populus: Europs Eurōpis, propriū regis: Hydrops hydrōpis, aqua intercus. *Fuge Cyclopis, &c.* Cyclōpis producitur tantum, contra Sulpitium; Dolopis uerò corripitur.

X.

Præ gis, uocalem breuio. Producito lex, rex.

Ex.

Ex,icis,abbreuiat, uibex, nisi. Cætera produc,

Præter abax,similax,atrax,cum dropace candax,

Fax,& athax,pharnáxque, panáxque, storáxque,coláxque,

Pix,& onyx,ilix,histrix, cum mastiche, uarix,

Coxendix,& eryx,fornixque,calixque,filixque.

Dic filicem,salicem, laticem, natricemque niuemque.

Cappadocem,celocem cum præcoce.Iungitur istis.

Dux,trux,nux,crux, atque uolux. variabo Syphacem,

Et Bebricem,raro nomẽ producimus istud.

Vocalis ante g,corripitur,vt remex remigis, grex grĕgis,Phryx phrygis,&c.sed producuntur lex lēgis,rex rēgis.Corripe item ĭcis ab ex, vt vertex verticis,&c. Vnum producitur nibicis.Cętera producuntur in obliquis, ut Myrmex myrmēcis, halex halēcis,pax pācis, &c. Quę sequũtur in textu, breuiantur:abax abăcis,mensula numeratorum: similax similăcis, species hæderæ:Atrax atrăcis, fluuius : Dro-

pax

pax dropăcis,vnguenti genus; Candax,insula, vulgò Cādia. Fax facis: Athax,athăcis, fluuius; Pharnax pharnăcis,uiri proprium ; Panax panăcis, herba : storax storăcis, genus aromatis; Colax colăcis,parasiti nomē·pix picis;onyx onycis,unguis,& lapillus pretiosus: illix illicis, idest,fraudulentus.histrix histricis,herinaceus. mastix mastĭchis,resina lentisci arboris.Mastix mastĭgis,vel mastigos,flagellum.hinc mastigia, idest,verbero uerberonis. uarix uarĭcis , plus æquo intumescens vena. coxendix coxēdĭcis, coxa.Eryx erĭcis,urbis,montisq; nomē:Fornix fornicis,arcus lapideus. Calix,notū. Cilix,ĭcis, populus.Filix,herba.salix,larix,icis, arbor. natrix,ĭcis,serpens. nix,nĭuis.Cappadox Cappadŏcis,quispiam in Cappadocia natus. Pręcox præcōnis,prematurus. dux,trux,cis, crudelis. nux,crux,uolax.Syphax,proprium uiri, uariatur.& Bebryx,populus,rarò producitur.

De primis Syllabis regulæ generales.

A, solùm trahit l,quodq;,& dissyllaba mamnas,

E,dissyllaba d, simul l, tardant. sed & n,s,T, que uel u,conso.Cætera corripiunt.

I,tardant

I,tardant d,uel l,n,& s,ceu consonitans u,
M,uel r,in dissyl. Cętera corripiunt.
O,bogomoso,dissyllaba d,modo,tardant.
V,rapiunt,b,l,p,polysyllaba t,neque solum u.

A,in primis,corripitur ante omnes cōsonā tes simplices, pręterquam ante l, & dissyllaba mamnas, id est,ante m,n,s. E, corripitur ante omnes consonantes simplices in primis,præter dissyllaba d, & l, & pręterquam ante n̄,s,t, & u,consonantem. I,quoque corripitur,pręter quam ante d, l,n,s, & u,consonantem, & pręter dissyllaba in m, & r. O, corripitur, nisi ante b, g, m, s, & dissyllaba ante d. V, uero producitur,nisi ante b,l,p, & polysyllaba in t, & ante u, cum alia litera, ut pluuia. nam si sola sit,producitur,ut,uua.

De medijs.

A,tardant g,uel u,medijs, sed cætera curtant.
E,c,d,tardant,l,m,n,t,uel u,mihi sola.
I, nisi sit super u,uel q, poscit breuiari
O,medio tardant s,t, sed cętera curtant.
V,curtant b,uel f, l,p, ceu consonitans u.
Dum subsunt medijs, cętera longa dabis.
Excipienda suę ponuntur in ordine normę.
Nunc satis est primam significasse uiam.

A,in medijs producitur ante g, & u,conso-

nantem, ante cęteras corripitur. E, producitur in medijs ante c,d,l,m,n,t,& u, consonantem: ante cæteras corripitur. I, corripitur in medijs ante omnes, præterquam ante q, & u. O, producitur in medijs ante s, & t, ante cęteras corripitur. V, corripitur ante b, f, l, p, & n, consonantem: ante cæteras producitur. Exceptiones quęrendæ sunt in codice Despauteriano maiore, ubi omnia fusissimè explicantur. Hic enim satis est, uelut quoquo modo uiam studiosis indicasse.

De ultimis. A terminale.

A, declinatum breuia: sed protrahe sextum,
Et quintum, cuius rectus producitur & mna.
Producunt nostri quędam muliebria Gręca
In recto, ut Tegea: sine teste nihil uolo tale.
Non declinatū produc, ita, cum quia, demptis.
Et putà non uerbo. Ginta melius loco longū.
Postea, & ultra, leges cū cōtra, curta licenter.
Eia, breue est. Flacco.

Vltima syllaba noscitur positu, ut post, ast, est, amant: Diphthongo, ut heu, musę; Regula, ut A declinatum corripitur, ut musa, Anna, nominatiui & uocatiui casus. Loquimur de declinatis per casus, non per tempora. *Sed protrahe, &c.* Ab hac regula tolluntur abla-

tiui

tiui,quia producuntur,ut musā,meā, lectā, & uocatiui à nominatiuis productis, ueluti Aeneā,Anchisā,Atlā.Mna monosyllabum cuiuscunque casus sit, producitur. *Producunt &c.* A in nominatiuo Græco fœminini generis à nostris corripitur, licet illi producant. ueluti Scyllă,Medeă,Lernă,&c.Quosdam tamen nominatiuos nostri produxerunt ad imitationem Græcorum,sic tamen,ut aliqua cæsurarum locum habeat.ideo nihil tale ꝑducemus sine autoritate,idque faciemus rarissimè, quia poterunt in e,terminari : ut Tegea,uel Tegee,&c. *Non declinatum, &c.* A, in omnibus per casum non declinatis producitur, ut clamā,frustrā,præterea,suprā, &c. Corripiuntur autem ită, quiă,& pută, aduerbium. Numeralia in ginta, rectius producuntur. ut trigintā, quadragintā, &c.produc quoque præterea, intereā,anteā,posteā,contrā,ultrā, quæ interim corripiuntur. Eiă, Valerius Flaccus corripit,& Alleluiă,Sidonius.

E, in ultimis.

E,breuia,primę produc,& nomina quintæ Cli natis ; addes pluralia cuncta. secundę iunge doce, & socias Monosyllaba longa repono.Inclinatiuas præter, Male, cum bene,dempto,

Omnia

Omnia produces aduerbia, siqua secunda,
Præteriterit, summiq; gradus aduerbia quæuis.
Sunt ferme, atque fere, producta, quibus dabis ohe.

E corripitur, ut docerĕ, Ganimedĕ, Herculĕ, Achillĕ, & similes uocatiui, & ablatiui tertiæ. *Prima, &c.* E, in prima, & quinta declinatione, in quocunque casu reperitur, producitur: ut parasceuē, Anchisē, &c. uocatiui & ablatiui, speciē, diē, rē: & hinc hodiē, pridiē, postridiē, quotidiē. quare. Produc quoque pluralia in e, ut cetē, tempē. *Secunda, &c.* Producitur omnis secunda persona uocis actiuę, singularis numeri, præsentis temporis, secundæ coniugationis, imperatiui modi: ut docē, morē. Monosyllaba producunt: ut, mē, tē, sē, dē. Hinc demuntur coniunctiones encliticę, quĕ, uĕ, nĕ, & in compositis. Quisquĕ, nonnĕ, & cætera. Producuntur aduerbia in e, ab adiectiuis secundę declinationis, siue comparentur, siue non: ut piē, egregiē, æquē, dictē, &c. Corripiuntur tamen benĕ & malĕ, atque magĕ pro magis. Aduerbia superlatiui undecunque fiant, producuntur: ut Maximē, minimē, &c. Produc etiam Ferē, fermē, & ohē.

I, finale.

I, longum pono, uocitantem contraho ternæ:
Sæpeq; Græcorum ternum, Minoidi testis.
Sed nisi, siue quasi, mihi, ibi, sibi, uariabis,
Et tibi, iunge cui, tantùm breue moly, locatur.

I, producitur. Corripitur uerò cunctus tertiæ declinationis vocatiuus, ut Alexĭ, Amaryllĭ, Phyllĭ, &c. Datiuus quoque tertiæ Græcus corripi inuenitur: ut Palladĭ, Minoïdĭ, &c. *Sed nisi, &c.* Variabis in litera posita, inter quæ nisi: & quasi rectius corripiuntur. Cui sæpius est monosyllabum: Moly tantum breue, herbæ nomen.

O, in fine.

O, commune datur, produc monosyllaba, iungens.
Cum terno sextum, atque aduerbia nomine nata,
At variabo cito cum sedulo, mutuo, crebro,
Seroq; : sit curtū modo solum, sed breuiari
Ergo pro causa non uult. produco quaterno,
In casu nomen, sit cuius sin us genitiuus.
O, patrij produc, variaq; gerundia uerba.

O, uariatur, ut Cato, Leo, Apollo, &c. Producuntur tantum monosyllaba, ut dō, stō, prō, &c. Producuntur tantùm datiui & abla-

tiui,ut dominō, meō, amatō, &c. Producuntur tantùm & aduerbia ex nominibus ducta, ut tantō, quantō, falsō, primō, &c. Variantur autem citò, sedulo, mutuo, crebro, sero. Modo aduerbium pro solùm corripitur. Ergo pro causa producitur. Produco Græcum in o, faciens genitiuum in us, in nominatiuo, datiuo, accusatiuo, & ablatiuo, ut Didō, Clothō, Argō, Cliō, Sapphō, &c. Genitiuus in o, producitur tantū, vt Apollos Apollō, Androgeos Androgeō, &c. *Varia gerundia verba*. vt, Pluribus hic ęger moritur uigilando sed illum.

V, semper produc. B, contrahe. Barbara deme.

V, produc, ut I E S V. B, corripitur, ut ab, ob, Demuntur barbara in b, quia producuntur, ut Iōb, Aminadāb, Iacōb, &c.

C, in ultimis.

C, produc. Præter nec, donec. Sed variabis
Hic bene pronomen, fac uerbum iūgimus isti.

C, producitur, ut s.c. Corripiuntur, nĕc, donĕc. Hic, aduerbium producitur, pronomen variatur, & fac verbum.

D, & T.

D, breue ponatur, ceu t, nisi syncopa fiat.

D, corripitur, vt apŭd, Bogŭd. Sic finita in t, vt, Capŭt, amăt, docĕt: nisi aliquando

per syncopen producantur, ut sumāt, profumauit, obīt pro obiuit.

L.

L, breue sit, Cum sol, sal, nil, tolluntur Hebrea.

L, corripitur, ut Annibăl, Hiempsăl, mĕl, fĕl. Producuntur sōl, nīl, & sāl. Hebręa quoque producuntur, ut Michaēl, Raphaēl, &c.

N.

N, produc. Demas an, in, & prolem, tamen atque
Forsitan, & forsan, vidĕn huic conformia iunges.
Quod dat inis, curtum est, uelut en quod tertia nescit.
Corripitur quartus, quando breuis ultima recti est.

N, producitur, ut Hymēn, Titān, Delphīn: & omnia nomina tertię in on, ut Agamēmnon. Tolluntur à regula án, ĭn, cúm prole deĭn, exin, subin, pro n, tamĕn, attamĕn, forsán, forsitán, vidĕn', pro & quęcunque per apocopen n, habent, ut mĕn', pro mĕne? ten', te'ne, egon' ego'ne, &c.

Quod dat, &c. Corripe en, habens inis in genitiuo, ut pectĕn, crimĕn, &c. Corripitur quoque in on, nomen secundę declinationis, quod

quod Latini in um, uertere solent, ut Iliŏn, Pe-liŏn, &c. Corripitur similiter accusatiuus, cuius nominatiui ultima corripitur, ut Medeăn, Maiăn, &c. Accusatiui à longis nominatiuis producuntur tantum, ut Æneān, Anchisēn.

R.

R, breuies. Produc cuius dat patrius eris:
Addito Iber, aer, æther. Sit Celtiber anceps,
Vt cor, non longum melius. Producito tātum
Cur, far, lar, fur, nar, par, uix prolem breuiabo.

R, corripitur, ut Muliĕr, patĕr, matĕr, &c. Producuntur nomina in er, habentia ēris pen. longa in geni. vt Cratēr, charactēr, clystēr, &c. Vēr, Ibēr, aēr, æthēr, adduntur. Celtiber uariatur, & cor, quod tamen melius corripitur. Producuntur tantum cūr, fār, &c. & pār, cum compositis impār, &c. quæ non omnino rectè breuiantur quandoque.

AS.

As produc. Sed adis, quę dant patrio, breuiantur,
Et ternę quarto: uates bonus, Helias, inquit.

As producitur, ut forās, &c. Corripiuntur tamen omnia nomina tertię, quorū genitiuus in adis, uel ados, desinit, ut arcás, &c. Corripe

quoque accusatiuum pluralem tertiæ in as,ut Rhetorăs, &c. Baptista Mantuanus corripuit Heliăs.

ES.

Ponitur es longum. Pluralia corripe Græca,
Quæ crescunt, uelut es, de sum, penes, inquies, adde
Cum neutris, & si patrio est penultima curta
Ternæ. Tolle Ceres, aries, paries, abies, pes.

Es producitur, ut Anchises, Dares, &c. Corripiuntur autem omnia Græca pluralis numeri, tertiæ declinationis crescentia in singulari, veluti Dæmonĕs, Vasconĕs, Britonĕs, Peanĕs, Caterĕs, Castorĕs, gigantĕs, pyridĕs, & quam plurima alia. Es à sum corripitur, ab edo, producitur. Penes præpositio, & inquiĕs nomen, corripiuntur, & nomina neutri generis, vt Hippomanĕs, cacoethĕs, &c. Corripiuntur & nomina tertiæ in es, penult. genitiui breuiantia: vtpote quę ĭtis, ĕtis aut ĭdis, penult. breui obtinent, ut Milĕs, terĕs, desĕs. Producuntur solùm Cerēs, ariēs, &c.

IS.

Is, breuio; uerùm plurales protraho casus:
Isq; quod in patrio mutatur in itis, & inis.
Aut entis. Tethys, vario. Glis, visquoq; nomē

Cum verbo longum est, ueluti persona secūdā
Protrahit is, quotidie xītis, plurale reponit.

Is, corripitur, ut inquis, quis, vis, bĭs, &c. Producito omnē casum pluralem in is, vt queis plurale, dominis, &c. item treis, omneis, &c. Produc etiam nomina in is, quæ pen. longa faciunt genit. crescentem in itis, uel inis, ut Līs, Dīs, Samnīs, Salamīs. Aut in entīs, ut Simoīs, Pyroīs, &c. Thetys uariatur. Produc adhæc glīs, vīs, siue nomen, siue uerbum, cum suis, ut sīs, pro si vīs: quamuīs, vteruīs, &c. Producuntur etiam secundæ personæ singulares, quando plurales habent ītis penultima longa, ut Velīs, nescīs, &c.

OS.

Os, produc, patrius breuis est & compos, & impos,
Osque ossis, præbens: rectos breuiato secundę.
Os recti produc, quoties tibi patrius o, dat.

Os, producitur, vt flōs, nepōs, &c. Corripitur quicunque genitiuus in os, ut Palladŏs, Tydeŏs, &c. Et compŏs, & impŏs, & ŏs, ossis breuiantur. Os, oris, producitur. Omne nomen in os, secundę declinationis, ut Samŏs, synodŏs, &c. corripitur. Producuntur, & nomina, quæ per tertiam declinationem Atticam

faciunt genitiuum in o, ut Athōs, Androgēos, &c.

V S.

Vs, correpta datur Monosyllaba cum genitiuis
Ternæ, uel quartæ produc. numeriq; secundi
In quarta primum, quartum, quintumque, & in uris.
Dumve utis patrius, uel in udis, & untis, odisve.
Aut quintus fit in u, longus tū rectus habetur.
Ergo produces venerabile nomen I E S V S.

Vs, corripitur, ut Tempŭs, pecŭs, &c. producuntur uerò monosyllaba, ut rūs, thūs, sūs, &c. & genitiui tertiæ, ut Cliūs, Didūs, &c. & genitiui quartæ, & in plurali eiusdem declinationis nominat. accusat. & voca. ut visūs, manūs, &c. *Et in uris, &c.* Producitur us, in nomin. singul. ubi genit. terminatur in uris, in utis, uel in udis, ut tellūs, uirtūs, palūs. Simile est ubi genitiuus definit in untis, ut Cerasūs Cerasuntis, Opus, &c. Græca quoq; à ποῦς, producuntur, ut Sciopūs, Melampūs, &c. Produc quoq; ubi uocat in u, definit, ut Panthūs quia uocatiuus est Panthu. Sic quia per ου, diphthongon scribitur, doctissimi produci testantur dulcissimum Domini, & Dei nostri I E S V S.

DE DECEM VITIIS in carmine vitandis.

Barbara nulla inerit vox, aut incõgrua metrò,
Nulla redundabit, nulla integritate carebit.
Nil transponetur, nil confundet malè sensum.
Nec rapies longam, nec produces breuiandam.
Nec post uocalem, nec post m, uersu in eodem
Partibus à uarijs uocalis ritè sequetur,
Syllaba ni pereat præcedens, ut modò dixi.
Nec succussantes, nec pones molle crepantes.
Nec paucis numeris tibi multa licere putabis.
Nec tibi propones nisi summos quosque imitandos.

Monemus uulgata decẽ uitia in carminib. contexendis uitare. Primò, ne barbarũ aut incongruum quicquam admisceamus. Secundò, ne quid redundans, aut deficiens sit, vt quique, quoq;, aut alias particulas, propter metrũ duntaxat ingeramus. Qui pedũ nimis, aut non satis ponunt, qui sensum nõ explẽt, aut frustra repetũt. Tertio, ne quid malè trãsponatur. Quarto, ne sensus confundatur. Quintò, syllabarum quantitas non uiolabitur. Sexto, nec post uocalẽ, nec post m, ponetur ĩ eodẽ uersu dictio incępta à uocali, nisi fiat ecthlipsis, aut synalępha.


Septimò

Septimò non ponemus succussantes literas, syllabas, aut pedes, ut, O tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti. Octauo, nequid sit affectati nimis turgidè, aut molliter sonans. Nono, uitabitur in paruo poemate magna licentia. Decimo, cauebimus ne non probati authoris carmina imitemur.



IOAN. PELLISSONIS CONDRIENSIS

Appendix ad quantitates syllabarum, de accentibus.



Ccentus est certa & legitima pronuutiandi ratio. Et est triplex, Acutus, Circumflexus, Grauis. Acutus est, quo syllaba attollitur, ut prima à genitiuo carminis, & insignitur hac nota ´.

Circunflexus, quo syllaba & attollitur, pariter, & dimittitur, ut prior à rõre, & notatur hoc insigni ˜.

Grauis, quo syllaba deprimitur, ut duæ postremæ à dominus, & figuratur hoc signo `. vt falsò, hic Sororem falsò creditam, &c. Nam propter consequentiam partium orationis, id est, quòd in contextu orationis partes aliæ alias consequantur acutus transit in grauem.

Notarum accentuum usus.

Huiusmodi notulis Græci passim utuntur, rarò Latini nisi sicubi hæreri possit, utri accentuum principalis sit locus, uel quia anceps sit, dictio, ut una, nomen, unà aduerbium, plane

nomen

nomen, planè aduerbium, a e, uocales literæ, â, è, præpositiones, quod extra notam accentus, nomē, cum accentus nota, coniunctio, &c. uel quia sit ita, ut tametsi in promptu sit uidere germanum accentum, tamen eum plerumque non nisi exercitatus statim uideat, ut Scripse´runt, non scripsérunt. Rursum scripsére, non scripse´re, cùm prolatione nihil hęc interesse vi deantur, ut certè hodie proferimus.

Quomodo fiant accentus.

Accentus ita fiunt. Nam proferenda dictione qualibet, in ea attollimus certam quandā syllabā, atque ita fit accentus aut acutus, aut circumflexus, & reliquas deprimimus, i. æquabili sono ac uelut uno uocis tenore ,pferimus. Atque hoc ipsum est grauis accentus. Differūt quidem ipsa re acutus, & circūflexus, ac diuersæ sunt naturæ, sed hoc nos quidem sono & voce non internoscimus, utrobique. n. syllabā pronunciando attollimus. Porrò acutùs & circunflexùs sunt principes accentus, ut de illis tantū laborandū sit, nam grauis uel non quærentib. obuius est. Quod nunc ita interpretari libet. Quotquot yllabæ sunt in dictione, una tantū attollitur. i. (ut nunc accipimus) acuto aut circūflexò accētu effertur: reliquæ omnes syllabæ

gra-

grauantur,seu demittuntur, etiam si mille essent,ut grauis accẽtus iure dicatur syllabicus, quòd sit in omni syllaba dictionis,prçterquam in illa una quç attollitur, ut Gratianopolitano´rum.Itaque cum de accẽtu cuiuspiã dictionis loquimur,tantum de horum altero q̃ sunt eximij,hoc est de acuto,an circũflexo,intelligimus. Vnde de his tantùm prçcipi solet. Nam grauis nihil habet quod regulis egeat.

Accentuum sedes.

Ante tres syllabas nulla in dictione syllaba potest attolli,ergo acutus accentus,in antepenultima tantùm.i.tertia à fine, aut ĩn penultima,aut in ultima ponendus est. Nam circunflexus apud Latinos in penultimam tantùm cadit. Neque enim si qua monosyllaba circunflexum habent, ideo in ultima habere censeri possunt. Exempla de acuto,ut o´mnia,fa´cit, re´ctè.De circunflexo,ut ma˜ter,spe˜s.

Accentuum regula.

Accentuum aũt huiusmodi ut tibi ratio cõstet,prius noscenda penitus,ac memoriter cõplectenda est syllabaria quantitas, quia apud Latinos pendet accentus maximè ex penultimç syllabç seu tempore,seu quãtitate,id quod è sequentibus regulis colligas facilè licebit.

Omnis

Omnis dictio monosyllaba, natura breuis, licet positione producatur, acuitur, ut Su´m, e´s, e´st, nix, nu´x, fa´x.

Monosyllaba dictio natura producta, circũflectitur: ut Do˜s, ro˜s, spe˜s, re˜s. Vbi eã natura produci non constiterit ad acutum confugito, nunquam enim circunflexus ponitur super syllabã natura breuem, aut tantum positione productam, i. quæ nisi obstaret positio breuis esset.

Dissyllaba dictio priorem natura producẽs, & posteriorem corripiens, illã circumflectit, ut Ma˜ter, Rõ˜ma, alias acuit, ut Pa´ter, ne´pos. Polysyllaba dictio penul. producens, & vltimã corripiens circũflectit penultimam, ut Roma˜nus, equita˜re: vltimã uerò producens, acuit penultimã, ut pote´ntes, amaue´runt, nunquam enim longa ante longam circũflectitur. Dictio polysyllaba penul. corripiens acuit antepenultimã, ut Do´minus, a´ffatim, mulíeris, sca´tebra, uo´lucres, so´phia, philoso´phia, quãquã in his duab. postremis seruari poterit, authore Quintiliano: Grçcanicus accẽtus, philosophía, sophía, nõ Latinè id quidem, sed tamen citra reprehensionẽ.

Exceptiones.

Ab his canonib. exceptiones sunt numero sex. Prima, interrogatio accentum mutat, quia ultima

tima interrogationis semp acuitur, ut Egone'. Quis furor, o ciues? Secunda, distinctionis, & differentiæ gratia mutatur accentus, ut una' aduerbiũ ultimam acuit, ne uideatur esse nomen. Sic pone', prępositio, uel aduerbiũ, sic eo', aliquo', illo', falso', sedulo', repente, pala'm, forte', eá', aliqua', &c. ultimã acuunt, dũ aduerbia sunt, ne putentur esse nomina, uel uerba, uel ꝓnomina, uel participia. Tertia: Concisio accentũ mutat: ideo nomina tertiæ in as, quę in atis olim desinebant, ultimã circunflectũt, ut olim penultimã, ut, Aquina˜s, Arpina˜s, nostra˜s, cuia˜s. Olim dicebãt cuia˜tis, pro cuia˜s &c. Cõcisa sunt quoq; done˜c, pro done˜cũ, ꝙ in Plauto legitur, adhu˜c, illu˜c, istu˜c, hi˜c, &c. dic, duc, fac; &c pro adhucce, illucce, &c. dice, duce, face, &c. Item peri˜t pro periuit, fuma˜t pro fuma˜uit. Quarta, Accentũ transpositio mutat, uelut i omnes præpositionum, coniunctionumq; syllabæ, dum pręponũtur, grauantur, ut de quare: postpositæ aũt acuuntur, ut qua de're, &c. Cũ, præpositio, que, ne, ue, encliticæ coniunctiones precedẽtẽ syllabã acuunt, ut quícũ me'cũ, &c. Cæsar, Papaq́ue, homines'ne, feræ'ne, etc. Quinta, compositio quandoq; accentũ uariat, ut cõpositio esse noscatur, non oratio. Itaque hęc ex

çeptio

ceptio particula est secundæ exceptionis: unde tertia à fine acuitur in sequentibus, su'binde, e'xinde, de'inde, pro'inde, pe'rinde, ali'quando, ne'qñ, hu'cusque, a'longe, de'longe, dee inceps, du'ntaxat, sinistrorsum, de'orsum, qua'propter, eni'muero, qui'nimo, ni'mirum, nihilo'minus, p tamen, paulo'minus pro fere, quo'modo, p qualiter, i'nsuper, de'super, inte'rea, po'stea, ueru'm tamen, ha'ctenus, qua'tenus. Vbi autem diuisę essent dictiones, diuersos haberent accentus. Sexta, Idioma, id est, lingua proprietas, accentũ mutat, cùm unaquæque lingua habeat accentum sibi peculiarem ac proprium. Nam secundũ Latinorum regulas Anthropos, & Epiros, penultimam acuerent, quia producitur: hanc tamen apud Græcos grauem habẽt. E diuerso, Simeis, quia penultimam corripit, antepenultimã secundum Latinorum regulas acuere t', quam apud Græcos grauem habet, acutã antepenultimam. Item & para'cletus contra usum linguę nostrę in antepenultimã habet accentum, cùm penultima eius sit longa, ut sit in aga'petus, & ele'eson, quę Græce per η scribuntur. Ex his patet in Græcis accentum quantitati plerunque esse contrarium. Sed hactenus.

DE

DE FIGVRIS LIBER XI.

FIGVRÆ DEFINITIO.



RTE nouata aliqua dicendi forma, Figura est.

Sunt eius species: Metaplasmus, Schema, Tropusque.

Quas manifestatis uitijs, referabimus amplè.

Figura est arte aliqua nouata forma dicēdi.

Figurarum notitia est Poetis, Oratoribusq; necessaria, Figuræ species sunt tres: Metaplasmus, Schema, & Tropus. Cęterùm fuerit operępretium uitiorum naturam antè manifestare, ut ea a figuris separare sciamus.

Vitia orationis generalia, sunt tria, obscurū, inordinatum, barbarum. Obscuritatis species, sunt octo; Acyrologia, Pleonasmos, Perisso-

logia, Amphibologia, Tautologia, Eclipsis cum Aposiopesi, Aenigma, Macrologia. Inordinatæ orationis species sunt quinque: Tapinosis, Cacophaton, Cacosyntheton, Aeschrologia, Cacozelia. Barbaræ orationis species sunt duę; Barbarismus, & Solœcismus. Eiusmodi uitia utpote in primis uitanda declarabuntur.

Barbarus est quisquis scribendo, siue loquendo.
Verbum corrumpit: peregrinum est barbara lexis.

Barbarismus, est unus dictionis corruptio, scribendo, aut loquendo commissa, ut tollero, cum duobus ll. Busiris, pen. corr. Barbara lexis, est dictio peregrina, ut guerra, bladum, stuffa; fardellus, charreria, &c. Barbarismus, dicitur a barbarus, id est dissonans, quia à uera latinitate dissonat, & dissidet, Barbarismus in prosa nomen suum retinet, apud Poetas Metaplasmus, & Pathos nuncupatur. Ideo licet ex Poetis depromantur Barbarismi exempla, ne credas ipsos loquutos esse barbare, siue (ut ueteres sępiùs dicebant) rusticè, sed intelligas Barbarismum fore, siquis ita loqueretur in prosa. Idem cēsendum est de Solœcismo, cui Schemati apud Poetas nomē est.

Esto

Esto Solœcismus uitiosa oratio quęuis.

Solœcismus est impar,& inconueniens compositura partium orationis,ut, Acuta gladius: Saluete reuerende magister. Veteres solœcum dixerunt, potius a quo solœcisso, solœcissas, id est,incongruè loquor.

Obscura ignobilisq́ orationis species.

Impropriè sumptum uerbum dicatur Acyron;

Acyrologia est impropria dictionis usurpatio, ut spero,pro timeo;Accede ad hunc ignē, id est,ad hanc meretricem. Acyrologia interpretatur impropria loquutio,ab ἄκυρος,id est, improprius,& λογία,id est,loquutio.

Omne superuacuum Pleonasmos ritè uocatur.

Pleonasmos,est adiectio superuacua ad plenam significationem, ut sic ore loquuta est. Vidi his oculis. Et interpretatur superabundātia,a πλεονάζω,id est,plusquam oportet facio, aut dico.

Esto Perissologus tibi sermo superfluus oīs.

Perissologia, est adiectio uerborum superflua sine ulla ui rerum, ut ibant, quà pote-

rant,qua non poterant, non ibant. Viuat rex, & non moriatur. Transfertur autem perissologia, superflua loquutio, a περισσὸς, i. superfluus, & est penè eadem quæ pleonasmos.

Amphibolon, dubius Romanis sermo feretur.

Amphibolia, est uitio compositionis ambiguè posita sententia: Aio te Aeacida Romanos uincere posse, & fit ab ἀμφίβολος, id est dubius.

Tautologos uerbis uarijs rem signat eandem,

Tautologia, est diuersorum uerborum, aut orationum eandem rem significantium inculcatio, ut Ipse egomet uenio, exultans ridés, gaudensq́. reuertor. Tautologia dicitur a ταυτότης, id est, identitas, & λογία, loquutio. Est enim eadem loquutio.

Macrologos, sermo nimium prolixus habetur.

Macrologia, est longa sententia, res non necessarias comprehendens. Virgil. Postera lux summo spargebat lumine terras, Orta dies cũ primum alto se jurgite tollunt Solis equi, lucemq́ue elatis naribus efflant. Satis fuerat dixisse, orta dies. Macrologia traducitur longus

sermo

sermo sine necessitate, a μακρὸς, id est longus.

Eclipsis uerbum: Reticentia, uerba subaudit.

Eclipsis, unicum uerbum, id est, dictionem subaudit; Reticentia uero, id est, aposiopesis, plures dictiones supprimit. Eclipsis, id est, defectus seu defectio. Aposiopesis, Latinè dicitur reticentia.

Est ęnigma grauis nimium tibi sermo solutus.

Aenigma, est obscura snīa per obscurā similitudinem rerum, ut, Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. significatur enim aquā in niuē conuerti, & ex eadem rursus effluere. Aenigma, dicit̄ ab αἰνίττωμαι, i. obscurè loquor.

Inordinatæ orationis species.

Inordinatæ orationis species sunt quinque, Tapinosis, Aeschrologia, Cacophaton, Cacozelia, Cacosyntheton.

Magna Tapinosis tenui sermone recludit.

Tapinosis, est humilitas magnæ rei non id agente sententia quod demonstrat, ut apud Virgilium: Dulichias uexasse rates, pro atrocissimè raptasse ac laniasse. Tapinosis, a ταπεινὸς, id est, humilis.

Aeschrologos,nobis obscœna oratio fertur.

Aeschrologia,est uitio compositionis inuerecunda oratio,ut compositio uerborū obscœna significationis, aut unius uerbi obscœna significatio,& pronunciatio, ab αἰσχρὸς, id est turpis, & λόγος, id est sermo.

Est caco ritè phaton quicquid sonat haud
bene nobis.

Cacophaton , aut Cacophatum, est obscœna pronunciatio , uel in compositione, uel in uno uerbo, ut, Arrige aures Pamphile, κακὸν, id est,malum,φατὸν , dictum, hoc est male sonans dictum.

Esto Cacozelon praua affectatio nobis.

Cacozelia,est per affectationem decoris corrupta sententia , cùm eo ipso dedecoretur oratio,quo illam uoluit autor ornare, ut Aureus axis erat , temo aureus, aurea summæ Curuatura rotæ,radiorum argenteus ordo , &c. Cacozelon,id est,mala affectatio.

Haud bene compositum Cacosyntheto,esto
Latinis,

Cacosyntheton,est uitiosa dictionum compositio,uel indecens scriptura,ut, Terga , fatigamus hasta.Cacosyntheton transfertur male compositum.

DE METAPLASMO.

Dictio transformata poetę fit Metaplasmus.

Metaplasmus est transformatio quædam recti, solitique sermonis, in alteram speciem, metri, ornatus, necessitatisve causa; ut Cœlicolum, induperator, dicier, a μετὰ, id est, trans, & πλάσμα, id est, figmentum. Metaplasmi species sunt quatuordecim, Prosthesis, Epenthesis Paragoge, Aphæresis, Syncope, Ectasis, Systole, Apocope, Diæresis, Sineresis, Synalœphe, Ellipsis, Antithesis, Metathesis.

Adijce principio quicquam, sic prosthesin edes.

Prosthesis, est appositio quædam ad principium dictionis, literæ uel syllabæ, ut Gnate, pro nate, retulit, pro tulit, astat, pro stat. Dicitur a πρὸς, id est ad; & θέσις, positio, hoc est, appositio.

Adijce quid medio, sic fiet Epenthesis aptè.

Epēthesis, est appositio quædam ad mediam dictionem literæ uel syllabæ, ut relliquias gemino ll, pro reliquias, alituum pro alitum.

Epenthesis dicitur ab ἐπὶ & ἐν, quę iuncta significant inter, & θέσις positio, ut sit interpositio. Eandem significationē habet parenthesis.

Adijce, quid fini, pulchrā facies paragogen.

Paragoge, est appositio quædam ad finem dictionis, ut potestur, pro potest, a παρὰ, id est, ad, & ἀγωγὴ, id est ductio, hoc est adductio.

Aufert quid capiti uates, ut Apheresin edat.

Aphæresis, est ablatio de principio dictionis, literæ uel syllabæ, contraria Prosthesi, ut, Pone metum, pro depone, ab ἀφαιρέομαι, id est, aufero.

E medio quicquam tollas, ita Syncopa fiet.

Syncopa est ablatio de media dictione literæ, uel syllabæ, contraria Epenthesi, ut audacter pro audaciter, à σὺν, id est con, & κόπτω, incido. Est enim concisio, ut dixi pro dixisti, & commorat pro commouerat, &c.

Est Apo nempe cope, quicquam de fine recidens.

Apocope, est ablatio de fine dictionis literæ, uel syllabæ, contraria Paragogæ, ut Achilli, pro Achillis, ex ἀπὸ, id est ab, & κόπτω, scindo.

Ectasis extendit tibi iure puer breuiandam.

Ectasis, est extensio syllabę contra naturam

uerbi

uerbi, ut naufragia media longa, quæ breuis est, & Italia prima producta, quæ natura alioqui corripitur. Dicitur ab ἐκτείνω, id est produco. Eadem Diastole uocatur.

Producēda foret quam Systola corripit ipsa.

Systole, est correptio syllabæ contra naturā uerbi facta contraria Ectasi, ut aquosus Orion, pro Orion producta, à συςέλλω, id est, corripio.

Syllaba per binas diuisa Diæresis esto.

Diæresis, est diuisio unius syllabæ in duas, ut aulai, pro aulæ a διαιρέω, i. diuido.

Syllaba de binis est facta Synæresis Luna.

Synæresis, est conglutinatio duarum syllabarum in unam, contraria Diæresi, ut, Phæton, dissyllabum, pro trisyllabo, a σὺν, id est, cum, & αἵρεσις, diuisio, quasi diuisorum coniunctio.

M necat Ellipsis, ceu, uocalem Synalœpha.

Ellipsis, uel Eclipsis, m literę cum sua uocali ante uocalem elisio. Synalœpha est uocalis ante uocalem interemptio in diuersis dictionibus, ut, O curuæ in terras animę, & cœlestium inanes. Ellipsis ab ἐκ, & λείπω, i. deficio, & interpretatur elisio. Synalœpha. i. collisio, a συναλείφω, id est, coniungo.

Antithesis fiet tibi, litera si uarietur.

Anti-

Antithesis est literæ pro litera positio, ut olli, pro illi, ab ἀντὶ, id est, pro, & θέσις, positio, quasi alius pro alia positio.

Est Metà nempe thesis, si transponas elementum.

Metathesis, est literarum in alium locum translatio, nulla litera è dictione sublata, ut, Euandre, Tymbre, pro Euander, Tymber, a μετά, id est trans, & θέσις, positio, quasi transpositio.

Præpositura quidē mutata, Parallaga fiet.

Protesefeωn parallaga, aut parallage, est præpositionum mutatio, cum altera pro altera ponitur, ut, Cui de te tantum licuit, pro in te. prothesfeon parallage transfertur prępositionum mutatio, a πρὸ, id est, præ, & ante, & θέσις, positio.

DE SCHEMATE.

Schemata, dant species tibi Lexeos, & Dianœas.

Schema, est quicquid a simplici atque in promptu posito dicendi modo uel poeticè, uel oratoriè mutatur Schematis species sunt duæ, Dianœas.i.mētis uel sensus, uel sententiarum,

& Lexeos;id est dictionis, uerborum, sermonis, orationum. Schematis autem Lexeos species multæ sunt, sed necessariæ traduntur. per quas similes colligentur: Prolepsis, Zeugma, Hypozeusis, Syllepsis, Asyntheton, seu Dialiton, Polysyntheton, Anadiplosis, Anaphora, Epanalepsis, Epizeusis, Paronomasia, Schesis, Onomaton, Paromœon, Homœoteleuton, Homœoptotō, Polyptotō, Hyrmos, Climax, Schema transfertur cultus, figura, habitus. Dianœa, dianœas, id est sententia; Lexis, dictio.

Per partes totū, aut reserat post facta Prolepsis.

Prolepsis, est præsumptio rerum ordine secutarum, uel cum numerus ante uerbo redditur, quàm personæ definiantur, ut, Interea reges (ingenti mole Latinus Quadrijugo uehitur curru, bigis it Turnus in albis. Tum pater Aeneas Romanæ stirpis origo, Et iuxta Ascanius magnæ spes altera Romæ,) Procedunt castris, &c. Et dicitur Prolepsis a πρὸ, id est ante, & λῆψις sumptio.

Verbo uno plureis sensus p zeugma recludo.

Zeugma, est unius uerbi conclusio, diuersis clausulis aptè coniuncta, ut: Aduersatur libidini castitas, auaritię liberalitas, mediocritati

luxu-

luxuria, modestiæ superbia strenuitati acedia.
Zeugma interpretatur adiunctio, a ζεύγνύω.

Iungit Hypozeuxis sua rebus uerba quibusque.

Hypozeuxis, est figura zeugmati contraria, ubi suum cuique clausulę redditur uerbum. Virg. Regem adit, & regi memorat nomenque genusq; Quidve petat, quidve ipse ferat &c. ab ὑπὸ, id est sub, & ζεῦξις, coniunctio.

Verba uno uaria est Syllepsis clausula nexa.

Syllepsis, est diuersarum clausularum per unum uerbum conglutinata conceptio, ueluti, Hic illius arma: Hic currus fuit, a σὺν, id est, con, & λῆψις, captio, ut sit conceptio.

Copula supprimitur quò fiat Asyntheton aptè.

Asyntheton, est oratio sine coniunctionibus necessario subauditis: ut, Dum ætas, metus, magister, prohibebant, ab α primitiua particula, & σὺν, id est con, & θετὸν, id est positum, quasi incompositum.

Copula multiplicata facit Polysyntheton usque

Polysyntheton, est oratio multis nexa coniunctionibus. Virg. Athamasque, Thoasque, Pelidesq; Neoptolemus, primusque Machaon, a

πολὺ

πολυ,id est multum, & σύνθετον, id est, compositum, quasi multipliciter compositum.

Finem principio repetens Anadiplosin edes.

Anadiplosis, est uersus finis in principio alterius repetitio, ut, Sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens, &c. ab ἀνὰ, id est, re, & δίπλωσις, duplicatio.

Principium fit idem nonnunquam uersibus apte.

Anaphora, est relatio uerbi eiusdem, aut similis, per principia complurium uersuum: ut, Nate meæ uires mea magna potentia solus, Nate patris summi, &c. ab ἀνὰ, id est re, & φορὰ, latio.

Principio & fini reperitur uersus eodem.

Epanalepsis, est cùm eadem dictio & principium uersus & clausulam tenet, ut Multa super Priamo regitans, super Hectore multa. Et interpretatur reacceptio, siue replicatio ab ἐπὶ, & ἀνὰ, quæ coniuncta significant re, & λῦψις, acceptio.

Dictio format Epizeuzin, cum ui geminata.

Epizeuxis, est eiusdem dictionis sine medio geminatio cum impetu pronunciationis, ut, Meme adsum qui feci; in me conuertite ferrũ,

O Rutuli,

O Rutuli, &c. Interpretatur coniunctio, aut combinatio.

In simili uerbo ludit quandoque poeta.

Paronomasia, est uéluti quædam denominatio, uel quoties aliud nomen efficitur de alio, ut, Nam isthæc inceptio est amentium, haud amantium, a παρὰ, id est iuxta, & ὀνομασία, nominatio.

Mobile cuique suum fixo connectitur aptè.

Schesis onomatô, est cum singulis nominibus epitheta connectuntur, ut, Maria manus, Peligna cohors, festina uirum uis, componitur ex nominatiuo σχέσις, id est habitus, & genitiuo ὀνομάτων, i. nominum quasi habitus, uel habitudo nominum.

Principijs eadē est Paromœō litéra multis.

Paromœon, est quando ab eisdem literis diuersæ dictiones sumunt initium, ut, Machina multa minax minatur maxima muris. Paromœon, id est simile, a παρὰ, id est iuxta, & ὅμοιος, id est similis.

Verborum similis sic finis Homœoteleuton.

Homœoteleuton est, quum simili modo plurimæ dictiones finiuntur, ut, Bella horrida, bella, ab ὅμοιος, id est similis, & τελευτὸν, id est finitum.

Casus

Casus Homœoptotō erit similis tibi multus.

Homœoptoton, est oratio uno, similiq. casu compacta, & excurrens in eosdem, & similes casus. Ennius; Mœrentes, flentes, lachrymantes, ac miserentes, ab ὅμοιος, id est similis, & πτῶσις casus.

Bella Polyptoton uarij sit clausula casus.

Polyptoton, est oratio casuū uarietate distincta, aut clausula uarios casus retinens, ut, Littora littoribus contraria, fluctibus undas, & dicitur a πολὺς, id est, multus, & πτῶσις casus.

Sermonis series plonga uocabitur Hyrmos.

Hyrmos, est series aut contractio orationis continuæ, tenorem suum in multos uersus protendens. Virg. Principio cœlum ac terras, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra, &c. Et dicitur Hyrmos, quasi syrmos, id est, tractus, a σύρω, id est, traho.

E uerbo in uerbū Climax it pulchra figura.

Climax, est de uerbo in uerbum gradatio, quæ dicta repetit, & prius quàm ad aliud descendat, in prioribus resistit, ut Aphricano uirtutem industria, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Interpretatur scala uel gradatio.

DE

DE TROPIS.

Vertit ad impropriũ Tropus oĩa significatũ.

Tropus, est uerbi uel sermonis à propria significatione in aliam cum uirtute mutatio, ut uulpes pro astuto, Bacchus pro uino. Dicitur a τροπὴ, id est uersio uel mutatio. Tropi species sunt tredecim: Metaphora, Catachresis, Metalepsis, Metonymia, Antonomasia, Epitheton, Synecdoche, Onomatopœia, Periphrasis, Hyperbatõ, Hyperbole, Allegoria, Homœosis. Horum omnium genus est Metaphora, cæteri omnes huius species uidentur.

Propter rẽ similẽ pro uerbis uerba repones.

Metaphora, est rerum, uerborumq́. per similitudinem translatio, ut rident prata, à μεταφέρειν, id est transferre.

Esto Catachresis, bona uocis abusio nobis.

Catachresis est usurpatio nominis alieni, ut parricidam matris quoque aut fratris interfectorem dicimus, a κατὰ, id est contra, & χρῆσις, id est usus, quasi contra usum.

At Metalepsis erit transumptio facta gradatim.

Metalepsis, est transumptio gradatim facta,

cta,cum dictio aliud à sua propria significatione ex his quę pręcesserunt denotat, ut, Post aliquot,mea regna uidens,mirabor aristas.Post aliquot aristas,ergo post segetes, & sic post ęstates,& proinde post aliquot annos, à μετὰ, id est,trans, & λῆψις, id est, sumptio, uel acceptio.

Dico Metonymiam,Bacchum bibo,uina coronant.

Metonymia,est nominis transmutatio,quoties pro inuentore inuentū,pro continente contentum, pro efficiente effectum, pro possesso possessorem,aut contrà, capimus. Metonymia transfertur nominis transmutatio, à μετὰ, id est,trans,& ὄνομα, id est, nomen.

Appellatiuum proprii uice sępe locatur.

Antonomasia,est uocabulum,quod sine nomine positum proprio eius loco fungitur, ut magnanimus Anchisiades,pro Ænea: Saturnia pro Iunone.Trāsfertur pronominatio,aut pro nomen, ab ἀντὶ, id est,pro,& ὄνομα,id est,nomen.

Exornāt carmen fixo bene mobile quadrās.

Epitheton est appositum nomini adiectiuū perpetuam fermè naturam rei indicans, ut, Alma Ceres, pulchra Venus, tristia bella,

ab ἐπὶ, id eſt, ad & θετὸν, poſitum, quaſi appoſitum.

Pro naui puppis, contràve, Synecdoche habetur.

Synecdoche, eſt figura, cum à parte totum intelligitur, aut contrà, numerusve pro numero ſumitur, ut, Da requiem puppi, ueniet cum frigidus annus; prò naui, & hyeme. Interpretatur comprehenſio.

Sępe ſonus cauſam fingēdi nomina pręſtat.

Onomatopœia, eſt dictionis ex ſono confictio, ut mugio, hinnio, pipio, ab ὄνομα, ατος, i. nomen, & ποῖια, fictio, unde eſt nominis fictio.

Rem circum loquimur, fit quando Periphraſis apta.

Periphraſis; eſt circumloquutio quędam, quum id quod uno aut paucioribus uerbis dici poteſt, pluribus explicatur. Virg. Et iā prima nouo ſpargebat lumine terras, Tithonis croceū linquens Aurora cubile, id eſt, dies oriebatur, dicitur à περὶ, id eſt, circum, & φράσις, locutio, ut ſit circumlocutio.

Valde turbatus uocū ſit Hyperbaton, ordo.

Hyperbaton, eſt tranſcenſio quędam uerborum ordinem perturbans. Virgilius.

Intereà

Intereà reges (ingenti mole Latinus
Quadriiugo uehitur curru, cui tpa circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt,
Solis equi specimen, bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sydereo flagrãs clypeo, & cœlestibus armis,
Et iuxtà Ascanius magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris.

Hyperbaton, uerbi transgressio interpretatur, ab ὑπερβαίνω, id est, transcendo. Cuius species sunt quinque, hysterologia, siue hysteron, proteron, anastrophe, parenthesis, sinchesis, tmesis.

Hysteron est proteron, postponas si antè locanda.

Hysteron proteron, est sententię cùm uerbis ordo mutatus. Virg. Et torrere parant flãmis, & frangere saxo. Priùs enim frangunt saxo, quam torrent. ὕστερον, id est, ultimum, uel postremum, πρότερον, id est, prius, inde Hysterologia, præpostera locutio.

Ordo inuersus erit tibi anastropha pręponiturę.

Anastrophe, est uerborum tantùm ordo pręposterus,

posterus,ut Italiam contra, Maria omnia circum. Anastrophe,est reuersio,uel inuersio, ab ἀναςρέφω.

Interiecta,Parenthesis est,sententia quęuis.

Parenthesis,est interposita formatio diuersę sententiæ,ut Æneas(neque enim patrius consistere mentem Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem. Interpretatur interpositio.

Synchesis est prorsum uocum, aut confusio sensus.

Synchesis,est hyperbaton obscurum,& omni parte confusum,ut, Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa uocant Itali mediisque in fluctibus aras,&c. Synchesis,id est, confusio,à σὺν,id est con,& χέσις,fusio.

Quoquam interposito per Tmesin uerbula scindo.

Tmesis, est unius compositi uel simplicis sectio una dictione,uel pluribus interiectis, ueluti, Est Borez regio septem subiecta trioni. Tmesis dissyllabę dictio est, idem significans quod sectio,à τέμνω.id est,scindo, eadem uocatur Diacope,id est,intercisio.

Excessus fidei manifestus Hyperbola fertur.

Hyperbole,est oratio excedens fidē augendi

uel minuēdi causa, augendi, ut, niue candidior: minuendi, ut, uix ossibus hęrent. ab ὑπὲρ, id est, super, & βολὴ, uel βόλος, id est, iactus.

Dic Allegoriam, sensu si uerba repugnent.

Allegoria, est tropus, quo aliud significatur, aliud dicitur, & ita uerba sensu, id est, sensui repugnant. Virg. Sed nos immensum spatio confecimus, æquor. Et iam tempus equũ spumantia soluere colla, id est, quę tractanda fuerant, affatim explicuimus. Iam congruum est carmen finire. Dicitur ab ἄλλω, & ἀγορεύειν, id est ab aliud dicendo.

Illudens rectè sermo Ironia feretur.

Ironia, est dissimulatio aut illusio, qua contraria ostenduntur sensui, quàm verba prę se ferunt, ut, Egregiam uerò laudem, & spolia ampla refertis. Tuque puerque tuus, &c. Et dicitur ab εἰρονεύομαι, quod est dissimulo, & cauillatoriè decipio.

Antiphrasis uerbum fit per contraria dictum.

Antiphrasis, est unius uerbi ironia, ut bellum, quod minimè bellum sit: & lucus, quod minimè luceat. Antiphrasis est per contrarium locutio, ab ἀντὶ, id est, contra, & φράσις, locutio.

At Charientiſmos tibi molliet aſpera dictu.

Charientiſmos, eſt tropus quo dura dicta gratiùs proferuntur, ut ſi interrogāti, Num me quæſiuit quiſpiam? reſponderis, bonâ fortuna, id eſt, nemo. Charientiſmos, id eſt, gratificatio, & urbanitas.

Sermo procul natus feſtiua Parœmia fertur.

Parœmia, eſt accommodatum rebus & temporibus prouerbium, ut Lupus eſt in fabula, i. adeſt is, in cuius præſentia loqui uetamur: à παρὰ, id eſt, iuxta, & οἴμη, id eſt, cantus, uel cantilena, quaſi iuxta omnium cantilenam.

Hoſticus irriſus nobis Sarcaſmas habetur.

Sarcaſmos eſt plena odio, atque hoſtilis deriſio: ut Pyrrhus ad Priamum, Referes ergo hæc, & nuntius ibis Pelidæ genitori: illi mea triſtia facta, Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.

Simplicitas, Aſteiſmos erit, ſi ruſtica deſit.

Aſteiſmos, eſt tropus multiplex, numeroſęque uirtutis. Nã eſt quicquid ruſtica ſimplicitate caret, & faceta ſatis vrbanitate exprimitur, ut apud Virgil. in Bucolicis, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui: Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos. Dicit ab ἀστεῖος, id eſt, vrbanus.

Nota parum demonstrat Homęosis magenotis.

Homęosis, est minus notæ rei per similitudinẽ eius, quę magis nota est demonstratio ab ὁμοῖος, id est, similis, quòd sit similitudo.

Est Icon, quoties formæ bene cõfero formã.

Icon est personarum inter se, uel eorũ quæ personis accidunt, cõparatio, ut, Os humerosq; Deo similis. Icon, onis, imago, uel similitudo.

Iure disertus erit quisquis rem comparat aptè.

Parabola est rerum genere dissimilium cõparatio, ut, Quàles mugitus, fugit cùm saucius aram Taurus, & incertam excussit ceruice securim. Parabola dicitur adiectio, à παρὰ, id est iuxta, & βολὴ, iactus, βάλλω, iacio, ut sit adiecta cuique rei comparatio.

Exemplum facti, uel dicti sit Paradigma.

Paradigma est excẽpli hortantis, uel dehortãtis enarratio. Hortãtis, Antenor potuit medijs elapsus Achiuis, Illyricos penetrare sinus, &c. Dehortantis, At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor, Ledæamq; Helenam Troianas vexit ad urbes, &c. Paradigma est exemplum παραδεικνύω, id est, exemplificor à παρὰ, id est, iuxta, & δεῖγμα, id est, signum.

Miscellanea reliquarum figurarum declaratio.

Multa figurarum descriptio nomina sumit.

Figurarum descriptiones uarijs è rebus uaria sortiuntur nomina, ut descriptio temporis, Chronographia: Loci, Topographia: Natalis, Genethliacon: Pugnæ, ut Monomachia, duorum singulare certamen, Naumachia, pugna naualis.

Inuenies uersum repetitum sępe dicenter.

Epimone, est eiusdem versus frequens repetitio: ut in ludicro Virg. Incipe Menalios mecũ mea tibia versus, &c. Interpretatur, perseuerantia & insistentia, ab ἐπὶ, id est, in, & μονὴ, mansio, mora.

Respondere solent scriptores obijciendis.

Antypophora, est ad obiicienda responsio: ut, Sum pius, heu doleo, nam mihi sæpe nocet. Posset quæri, cur doles te pium esse? huic tacitæ quæstioni sic occurritur: nam mihi sæpe nocet. Antypophora est solutio (Hypophora nãque obiectio dicitur) ab ἀντὶ, id est, contra, & ὑποφορά, ᾶς,

Quas tibi declarat Syntaxis, nõ repetemus.

De appositione, euocatione, cõceptione, prolepsi, zeugmate, antiptosi, synthesi, & synecdoche,

doche,&c.quæ in Syntaxi dicta sunt, haud operæpretium fuerit hic repetere,itaque illis supersedendum censeo.

Rem nimis ut notam ferimus nos sæpe tacere.

Parasiopesis, est quum aliquid nos reticere dicimus,vtpote omnibus notum, aut cùm suspicionem excitare maiorem reticendo possumus:quale est illud, in præsentia, iudices, injussu populi,q̃ improbissimè gesserit, reticebo. Dicitur à παρὰ, id est,apud,ab,prçter, & σιωπὴ, id est, silentium.

Fingere personam, res est percrebra poetæ.

Prosopopœia,est personæ fictio,quoties inanimatum ad animatum loquitur : aut contrà, animatum ad inanimatum : ut Ouid. Parue, nec inuideo, sine me liber ibis in urbem. Et apud eundem in Metamor. ubi terra loquitur. Dicitur à πρόσωπον, id est,persona, & ποιέω, id est facio,uel fingo.

Laudatur uerbi repetitio facta decenter.

Epanodos,est cum decore dictionis repetitio siue regressio, plerumque cum negatione, & interdum sine ea,ut,Principatus bonus est,&c, non bonus autem qui in tyrannidem conuertitur. Fit ex ἐπὶ, & ἀνὰ, quæ coniuncta,

iterum,

iterum,uel retrò indicant,& ὁδὸς,uia: quasi in priorem uiam regressio.

Virtutum uitijs interdum nomina dantur.

Paradiastole, est cùm rem nostram dilatamus per interpretationes, ut cum astutum sapientem uocamus,prodigum,liberalem,temerarium,fortem. Componitur ex παρὰ, id est, iuxta,& διάστολη,id est,dilatatio.

Hendiadyn facies soluens in mobile fixum.

Hendiadys,figura est,quum resoluitur substantiuum in adiectiuum, ut, Chalyben, frænosq; momordit pro chalybeos frænos,ab ἓν, id est,unum,& διὰ,id est,per,& δύω,idest,duo quando unum per duo dicitur.

Quando pati quod agit fero,contrave, Hypallage habetur.

Hypallage, est figura quum uerba per diuersum intelliguntur:quum quod patimur,agere dicimur,aut contrà, ut trade rati uentos, pro trade ratem uentis,ex ὑπὸ,id est,sub,& ἀλλαγή,id est,mutatio.

Liptote erit, quoties plus significans minus aio.

Liptote,figura est qua minus dicimus,quàm significamus,ut,haud parum doctus,id est,multum:à λείπομαι,id est,deficio.

Anti-

Antitheton fiet, quoties contraria nectes.

Antitheton est figura qua contraria contrarijs opponuntur, ut, Frigida pugnabant calidis, humentia siccis: Mollia cum duris, &c. Antitheton, id est, contrapositum, ab ἀντὶ, id est, contra, & θετὸν, positum.

Quæ Erotema; est inter numerata figuras.

Erotema est interrogatio, ut, Quis furor, ò ciues? quæ tanta licentia ferri? ab ἐρωτάω, id est, interrogo.

Dicta priùs declarat Epexegesis apertè.

Epexegesis, est antè dictorum expositio, vel declaratio: ut, Tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis. Dicitur ab ἐπὶ, suprà, & ἐξήγησις, id est, expositio.

Emphasis, est sensus maior, quàm verba recludant.

Emphasis, est figura altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per seipsa declarāt: vt, Semper ego auditor tantùm? in, ego, est emphasis apud Iuuenalem. Emphasis interpretatur significatio, demonstratio, ab ἐμφαίνω, id est, demonstro.

Quod nihil ad sensum facit, esto Parelcon vbique.

Parelcon,

Parelcon, eſt dictionis aut ſyllabæ nihil ad ſenſum facientis adiectio, ut Adeſdum, paucis te volo, dum, parelcon eſt, ſyllabica adiectio. Dicitur à παρέλκω, id eſt, produco.

Ob pulchram uocem quid factum, Euphonia fertur.

Euphonia, eſt mutatio quædam uenuſtioris gratia ſoni, ut redeo, pro reeo, ab εὖ, id eſt, bene, & φωνὴ vox, quaſi bona uox.


Verſus ad abſentem dicetur Apoſtropha ſermo.

Apoſtrophe, eſt ad abſentem ſermonis conuerſio: ut, Te nunc appello Aphricane, &c. ab ἀποστρέφω, id eſt, auerto.


Dic Allœothetan, contra artem quid uariatum.

Allœotheta, eſt accidentium contra artem mutatio, ut, Pars in fruſta ſecant, &c. continet enim ſub ſe Antiptoſin, Syntheſin, & plures alias figuras. Et interpretatur aliter poſita, ab ἀλλοῖος, ideſt alius & uarius, & θετὸν, id eſt, poſitum, θέσις, poſitio.

FINIS.



GEORGIVS FEDRVS FELICI CARAR. S. D.




OBſignatis literis, quas ad te daturus eram, fortè libellum, quem his adiunxi, reperi inter meas chartas; in quo pręſcripta uel deſignata potius eſſent quędã, quę ante biennium hic dictaui auditoribus meis, rudia quidem illa, & minuta, ſed neutiquam tamen, ut opinor, inutilia, & contemnenda. Nã de quibus olim me admonuerunt pręceptores mei inter emendandum, ea complexus ſum libello iſto. Hic ſi uidebitur curabis, ut edatur iſtic apud uos. Titulum facies, quem uolueris, tuo enim arbitrio permitto. Vale ex ędibus noſtris Pridie Idus Auguſti.

DE CARMINIBVS AD VETERVM IMITATIONEM ARTIFICIOSE COMPONENDIS præcepta bona, & vtilia,

Collecta à GEORGIO Sabino.

De verſibus non fundendis ex tempore.



ERSVS ipſo quaſi orationis cãtu ad omnem, & aurium uoluptatem, & animorum motum componi debent. Eſt enim Poetica quædam Muſicæ ſpecies, & ſicut Muſicis in cantu, ita Poetis in carmine elaborandum atque enitendum eſt, ut omni ſono permulceant. Componere autem uerſus ad hunc modum ſummi eſt artificij, quo Poeta à uerſificatore internoſcitur. Nihil eſt enim

neque

neque fastidiosius aurium sensu, utpote qui in iucundo, uel uerbo, uel sono facilè offenditur; neque difficilius, quàm ad motum animorum accommodare orationis harmoniam. Nō sunt igitur uersus subito ingenij impetu fundendi, ut nonnulli putant, sed arte formandi, & acri iudicio elaborandi sunt, stylus sępe uertendus est, ut inde etiam nominatos esse uersus, perhiberi posse uideatur, quod dum fiunt, uariè huc atque illuc uertantur. Ac quanquam ingenij impetus non est nimium retardandus anxia elocutionis & compositionis cura, tamen cohibenda est præcipitantia, ad hanc enim assuefacti, plerumque effutiunt uersus neruis, & spiritu carentes, nec tam assequuntur facilitatem, quę in uersu commendatur, quàm futilitatem, qua nihil est in omni oratione odiosius. Hac de causa Horatius.

Omne (inquit) carmen reprehendite, quod nō
Multa dies & multa litura coercuit. atque
Perfectum decies non castigauit ad vnguem.

Sic Virgilium Maronem elaborasse uersus accepimus, qui propterea dicere solitus est, se ursino more carmen gignere, lambendoq; effingere. Huius exemplum imitari debent, qui in hoc genere studii uersantur, totisque ingenij

uiribus

uiribus eniti, ut quos ipſi gignunt uerſus, etiam arte forment atque perficiant quãtum poſſit.

DE VERBORVM DELECTV.

AVres in primis delectantur, & elegantia ſermonis & ſuauitate compoſitionis. Elegantia ſermonis ſita eſt in uerbis, ac formulis loquendi ab optimis authoribus uſurpatis: in quibus tamen delectus etiam habendus eſt: Neq; enim omnia uerba quę uſu recepta ſunt, eandem habent gratiam & uenuſtatem. Ac Poetę utuntur peculiari quadam phraſi. habent enim ſuas quaſdam formulas ab Oratoribus diuerſas: quippe ubi Orator dicit, afferre calamitatem, accipere beneficium, diſſipare opes, tradere filio uxorem: Poetę dicunt, ducere fata, obſequium ferre, dilaniare opes, ſumere nurum. Deligenda ſunt igitur uerba illuſtria & Poetarum propria, in quibus uerbis ineſt plenum quidam ac ſonans, ut Marcus Craſſus apud Ciceronem docet. Nam in verſu, quantum fieri poteſt, ſingula debent eſſe ad ſonum exquiſita. Nec rectè iudicat Viues de ratione dicendi, ubi ſcribit, carmen non modo recipere omne etiã uerborũ & locutionis genus, uerum etiam tegere, adeò ut uerba antiquata

& nouata,ac phrasis dura atque horrida, minus notabilia sunt in oratione numeris adstricta,quàm soluta.

Ac contra omnino fugienda sunt Poetis uerba sordida,nisi ad argumentum necessariò requirantur. Sordida sunt, non tantùm quæ a sordidis & inquinatis rebus sumuntur,sed etiã quę humiliora sunt,quàm ut exprimant dignitatem rei significatæ. Eiusmodi enim uerba deformant uersum,non aliter ac maculæ preciosam ueste.Nec temerè hęc admoneo, quia apud authores ẽt probatos reperiuntur interdum uersus inquinati uerborũ sordibus. Martialis libro decimo in Epigrammate non inelegañti,utitur uerbo satis humili ac sordido, ubi lucem serenam uocat sine face diem. Item Baptista Mantuanus in Parthenicis, ubi inquit, Mens pertæsa cloacam corporis.

Viranda sunt item Græca uocabula, quãuis Latinitate donata, nisi sint usurpata a Poetis maximè probatis,ac in primis a Virgilio& Ouidio.Nec imitãdi sunt authores, apud quos extãt carmina Græcorũ Latina, qualia sunt hæc: Qui loca παντδαπῆ nouit tractare παλαίϛν καὶ minus in sumptum δαπάνας leuis arca ministrat.

Nam eiusmodi carmina uidentur non minus ridicula, quàm hęc, quæ apud Italos uulgo Macaronea dicuntur,

Si tibi dens caderet quoties fers ore basiam,
Iam tua non posset pane ganassa frui.

Extant tamen eruditorum etiam in hoc genere lusus, Ausonij & quorundam etiam recentiorum.

Abstinendum est itidem spurcis & obscœnis uocabulis, nulla enim re honestorum hominũ aures atque animi tam offenduntur quàm obscœnitate uerborum. Nec parum refert, admoneri hac de re adolescentes, cum multis ex uersificatoribus adeo insaniant nostro tẽpore, ut turpissima quæque uocabula ex Satyricis Poetis excerpant, quę suis intexant carminibus, tanquam insignia ornamenta. Horum uersibus, nihil est, ne lutum quidẽ lutelentius.

Quæ uero sine turpitudine nominari nequeunt, periphrasi offerenda sunt, quemadmodum, & ea quæ uidentur sordidiora. Sic Petrus Bembus in carmine iocoso, ubi facit loquentem obscœnum custodem hortorũ, uocat mentam pusillam, membrum illud quod natura corpori affixit pro creationis caussa. Sic Iacobus Sanazarius, partem posteriorem uerendam

dam non minus uenustè, quam uerecundè circumlocutus est his uerbis; Unde prodeunt auræ, quę de Sabęis messibus nihil spirant. Et Virgilius, ubi de conceptione equarum loquitur, ut rem parum speciosam dicto, honestius exprimat, aruum genitale uocat, naturam equinam.

Cęterum, uerba maximè illustria sunt, quæ uocantur translata, hęc teste Cicerone tanquā stellę lucent, atque illustrant orationem, nec tantum aures oblectant, sed etiam animum mouent ac ducunt. His igitur potissimum illuminandi sunt uersus, nec immodice tamen, sed ita quemadmodum fieri in pictura solet, ut umbris etiam relinquatur locus, quo magis id quod est illuminatum, extare atque eminere uideatur. Nam multa etiam in uersu efferenda sunt propriè, ac quemadmodum illa Nais Virgiliana:

Pallentes uiolas, & summa papauera carpens,
Narcissum, & florē iungit bene olentis anethi,
Tum casia, atque alijs intexens suauib⁹ herbis,
Mollia luteola pingit uacinia caltha.

Sic immiscere translatis propria debemus, nec semper uti eodem flore eloquentię.

DE STRVCTVRA VERBORVM.

COmpositionis suauitas cõsistit partim in structura, qua dictiones inter se coagmẽtãtur, partim in collocatione epithetorũ, partim ét in concinnitate pedum, numerorũ, membrorum, & figurarum, de quibus singulis ordine dicemus. In structura seu coagmentatione, uitanda sunt quæ sonum efficiunt hiantẽ & confragosum, ut concursus uocalium, asperitas consonantium, ac similitudo literarum, uel syllabarum. Iungenda sunt igitur uerba molliter & aptè, ut sine hiatu & asperitate copulentur, sicut hæc inter se iuncta sunt.

Impiger Aenea uolitantis frater amoris.

Hic enim nihil est durum aut confragosum. Concursus tamen earundem uocalium minus insuauis est, ac præsefert quandam grauitatem coniunctam cum lenitate, ut apud Virgilium:

Ille ego qui quondam. *Item.*

Ipsi in tus dextra, ac læua pro turribus adstant.

Sępe etiã diuersæ uocales habent suaue qddã, cùm non copulandi necessitate, sed implendi sono gratia concurrunt, ut in his uersibus:

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris

Contẽptor diuum Mezẽtius, agminaq́. armat.

Poterat

Poterat enim Virgilius hic dicere agmen & armat, nisi indicasset numerum hiatu fieri hoc loco pleniorem.

Nec asperiores consonantes semper uitādę, sed interdum arte conquirendę sunt ad res exasperandas, & simili sono exprimendas, sicut a Virgilio factum est in hoc uersu,

Nūc rapidus retro atq; æstu resoluta resorbet Saxa.

Hic singulę dictiones constant literis asperioribus, quibus exprimitur fluctus & fremitus ęstuantis maris tam artificiosè, ut quasi auribus percipiatur.

Similitudo quoque literarum, uel syllabarū non semper uitanda est, nam interdum apta literarum, uel syllabarum allusio aures afficit uoluptate, ut in hoc uersu Virgiliano;

Auia tunc resonant auibus.

Neque est adeò ridiculus, ut Grammaticis quidem uidetur, ille uersus Ciceronis;

O fortunatam natam me consule Romam.

Habet.n. allusionē iucundā aurib. non ineruditis, qua uir quidam eruditus delectatus composuit Dialogū, qui inscribitur Echo, ad cuius imitationem olim lusi carmen, quod exempli caussa, qualecunq; est, huc adscribendū duxi.

Dic mihi, Nympha cauis habitas quę uallibus Echo.
Semicaper Faunus cur ita clamat? *Echo*, amat.
Quæ tamen illa furit cuius malè ſanus amore?
Diuitis an Codri filia Nais? *Echo*, ais.
Eſt opulēta quidem, ſed turpibus obſita rugis:
Debuit hanc bifrons ducere Ianus. *Echo*. anus.
Candida me uero Thaumantias urit amantē,
Cuius forma decēs & generoſa: *Echo*, roſa.
Huius amore flagro, ſed dic reſonabilis Echo,
Quæ res ergo graueis ſunt in amore? *Echo*, morę.
Ver eſt conueniens, blandis & amoribus aptū,
Vere nouo ſpōſum me fore reris? *Echo*. eris.
Interea gelidis in uallibus ipſa ualeto:
Vox tua ſæpe mea uoce ſonabit. *Echo*, abit.

Eſt autem hæc reſonātia non modo elegās, ſed Latinę etiam linguæ propria, id quod frequens uſurpatio indicat. ubique enim ſunt obuia exempla.

DE EPITHETIS.

VErſus abſq; epitheto nudus eſt, & uelut incōptus. Crebra igitur epitheta intexi debent,

debent,non tamen otiosa, sed ex intima ratione ac natura rei deprompta. Quę duriora aut prolixiora sunt,compositionem reddunt insuauem,ut hæc, tonantisonus, stellimicans,& similia.

Venustè autē collocātur epitheta, ante ipsa (ut uocant) subiecta,præsertim ita, ut quadā uicissitudine cum illis iungantur hoc modo;
Vecta est frenato cærula pisce Thetis.

Nec minus habent gratię, cum per interiectas orationis partes a subiectis separantur, permanente tamen eadem uicissitudine, ut in his uersiculis Ouidianis,
Clauda quod alterno subsidūt carmina uersu.

Illud quoque non caret uenustate,cum epitheton collocatur in principio carminis, & nomen,cui epitheton attribuitur, in fine, ut,
Puluerulenta coquit maturis solibus æstas.
Præcipitem Oceani rubro lauit ęquore currū.

Quæ collocationis forma & in binis uersibus est longè uenustissima, ut apud Virg.
Nigra uelut magnas domini cum diuitis ędes
Peruolat, & pennis alta atria lustrat hirundo.

Item apud Ouidium.

Fertilis assiduo si non renouetur aratro.
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

posterus, ut Italiam contra, Maria omnia circum. Anastrophe, est reuersio, uel inuersio, ab ἀναστρέφω.

Interiecta, Parenthesis est, sententia quęuis.

Parenthesis, est interposita formatio diuersę sententiæ, ut Æneas (neque enim patrius consistere mentem Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem. Interpretatur interpositio.

Synchesis est prorsum uocum, aut confusio sensus.

Synchesis, est hyperbaton obscurum, & omni parte confusum: ut, Treis Notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa uocant Itali mediis quę in fluctibus aras, &c. Synchesis, id est, confusio, à σύν, id est con; & χέσις, fusio.

Quoquam interposito per Tmesin uerbula scindo.

Tmesis, est unius compositi uel simplicis sectio una dictione, uel pluribus interiectis, ueluti, Est Boreę regio septem subiecta trioni. Tmesis dissyllabę dictio est, idem significans quod sectio, à τέμνω. id est, scindo, eadem uocatur Diacope, id est, intercisio.

Excessus fidei manifestus Hyperbola fertur.

Hyperbole, est oratio excedens fidē augendi

uel

uel minuēdi causa, augendi, ut, niue candidior: minuendi, ut, uix ossibus hęrent. ab ὑπὲρ, id est, super, & βολὴ, uel βόλος, id est, iactus.

Dic Allegoriam, sensu si uerba repugnent.

Allegoria, est tropus, quo aliud significatur, aliud dicitur, & ita uerba sensu, id est, sensui repugnant. Virg. Sed nos immensum spatio confecimus, æquor. Et iam tempus equū spumantia soluere colla, id est, quę tractanda fuerant, affatim explicuimus. Iam congruum est carmen finire. Dicitur ab ἄλλω, & ἀγορεύειν, id est ab aliud dicendo.

Illudens rectè sermo Ironia feretur.

Ironia, est dissimulatio aut illusio, qua contraria ostenduntur sensui, quàm uerba prę se ferunt, ut, Egregiam uerò laudem, & spolia ampla refertis. Tuque puerque tuus, &c. Et dicitur ab εἰρωνεύομαι, quod est dissimulo, & cauillatoriè decipio.

Antiphrasis uerbum fit per contraria dictum.

Antiphrasis, est unius uerbi ironia, ut bellum, quod minimè bellum sit: & lucus, quod minimè luceat. Antiphrasis est per contrarium locutio, ab ἀντὶ, id est, contra, & φράσις, locutio.

At Charientismos tibi molliet aspera dictu.

Charientismos, est tropus quo dura dictu gratius proferuntur, ut si interrogāti, Num me quæsiuit quispiam? responderis, bona fortuna, id est, nemo. Charientismos, id est, gratificatio, & urbanitas.

Sermo procul natus festiua Parœmia fertur.

Parœmia, est accommodatum rebus & temporibus prouerbium, ut Lupus est in fabula, i. adest is, in cuius præsentia loqui uetamur: à παρὰ, id est, iuxta, & οἶμη, id est, cantus, uel cantilena, quasi iuxta omnium cantilenam.

Hosticus irrisus nobis Sarcasmas habetur.

Sarcasmos est plena odio, atque hostilis derisio: ut Pyrrhus ad Priamum, Referes ergo hæc, & nuntius ibis Pelidæ genitori: illi mea tristia facta, Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.

Simplicitas, Asteismos erit, si rustica desit.

Asteismos, est tropus multiplex, numerosęque uirtutis. Nā est quicquid rustica simplicitate caret, & faceta satis vrbanitate exprimitur, ut apud Virgil. in Bucolicis, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui: Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos. Dicit ab ἀστεῖος, id est, vrbanus.

Nota

Nota parum demonstrat Homęosis magnotis.

Homęosis, est minus notæ rei per similitudinẽ eius, quę magis nota est demonstratio ab ὁμοῖος, id est, similis, quòd sit similitudo.

Est Icon, quoties formæ bene cõfero formã.

Icon est personarum inter se, uel eorũ quæ personis accidunt, cõparatio, ut, Os humerosq; Deo similis. Icon, onis, imago, uel similitudo.

Iure disertus erit quisquis rem comparat aptè.

Parabola est rerum genere dissimilium cõparatio, ut, Quàles mugitus, fugit cùm saucius aram Taurus, & incertam excussit ceruice securim. Parabola dicitur adiectio, à παρὰ, id est iuxta, & βολὴ, iactus, βάλλω, iacio, ut sit adiecta cuique rei comparatio.

Exemplum facti, uel dicti sit Paradigma.

Paradigma est exẽpli hortantis, uel dehortãtis enarratio. Hortãtis, Antenor potuit medijs elapsus Achiuis, Illyricos penetrare sinus, &c. Dehortantis, At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor, Ledæamq; Helenam Troianas vexit ad urbes, &c. Paradigma est exemplum παραδειχνύω, id est, exemplificor à παρὰ, id est, iuxta, & δεῖγμα, id est, signum.

Miscellanea reliquarum figurarum declaratio.

Multa figurarum descriptio nomina sumit.

Figurarum descriptiones uarijs è rebus uaria sortiuntur nomina, ut descriptio temporis, Chronographia: Loci, Topographia: Natalis, Genethliacon: Pugnæ, ut Monomachia, duorum singulare certamen, Naumachia, pugna naualis.

Inuenies uersum repetitum sępe dicenter.

Epimone, est eiusdem versus frequens repetitio: ut in ludicro Virg. Incipe Menalios mecū mea tibia versus, &c. Interpretatur, perseuerantia & insistentia, ab ἐπὶ, id est, in, & μονή, mansio, mora.

Respondere solent scriptores obijciendis.

Antypophora, est ad obiicienda responsio: ut, Sum pius: heu doleo, nam mihi sæpe nocet. Posset quæri, cur doles te pium esse? huic tacitæ quæstioni sic occurritur: nam mihi sæpe nocet. Antypophora est solutio (Hypophora nāque obiectio dicitur) ab ἀντὶ, id est, contra, & ὑποφορά, ᾶς,

Quas tibi declarat Syntaxis, nō repetemus.

De appositione, euocatione, cōceptione, prolepsi, zeugmate, antiptosi, synthesi, & synecdoche,

doche,&c. quæ in Syntaxi dicta sunt, haud operæpretium fuerit hic repetere, itaque illis supersedendum censeo.

Rem nimis ut notam ferimus nos sæpe tacere.

Parasiopesis, est quum aliquid nos reticere dicimus, vtpote omnibus notum, aut cùm suspicionem excitare maiorem reticendo possumus: quale est illud, in præsentia, iudices, iniussu populi, q̃ improbissimè gesserit, reticebo. Dicitur à παρὰ, id est, apud, ab, preter, & σιωπὴ, id est, silentium.

Fingere personam, res est percrebra poetæ.

Prosōpopœia, est personæ fictio, quoties inanimatum ad animatum loquitur: aut contrà, animatum ad inanimatum: ut Ouid. Parue, nec inuideo, sine me liber ibis in urbem. Et apud eundem in Metamor. ubi terra loquitur. Dicitur à πρόσωπον, id est, persona, & ποιέω, id est facio, uel fingo.

Laudatur uerbi repetitio facta decenter.

Epanodos, est cum decore dictionis reptitio siue regressio, plerumque cum negatione, & interdum sine ea, ut, Principatus bonus est, &c. non bonus autem qui in tyrannidem conuertitur. Fit ex ἐπὶ, & ἀνὰ, quæ coniuncta,

iterum,

iterum,uel retro indicant,& ὁδὸς,uia: quasi in priorem uiam regressio.

Virtutum uitijs interdum nomina dantur.

Paradiastole, est cùm rem nostram dilatamus per interpretationes, ut cum astutum sapientem uocamus,prodigum,liberalem,temerarium,fortem. Componitur ex παρὰ, id est, iuxta,& διαστολὴ,id est,dilatatio.

Hendiadyn facies soluens in mobile fixum.

Hendiadys,figura est,quum resoluitur substantiuum in adiectiuum, ut, Chalyben, frænosq; momordit: pro chalybeos frænos,ab ἕν, id est,unum,& διὰ,id est,per,& δύω,idest,duo quando unum per duo dicitur.

Quando pati quod agit fero,contrave, Hypallage habetur.

Hypallage, est figura quum uerba per diuersum intelliguntur:quum quod patimur,agere dicimur,aut contrà, ut trade rati uentos, pro trade ratem uentis,ex ὑπὸ,id est,sub,& ἀλλαγὴ,id est,mutatio.

Liptote erit, quoties plus significans minus aio.

Liptote,figura est qua minus dicimus,quàm significamus,ut,haud parum doctus,id est,multum:à λείπομαι,id est,deficio.

Anti-

Antitheton fiet, quoties contraria nectes.

Antitheton est figura qua contraria contrarijs opponuntur, ut, Frigida pugnabant calidis, humentia siccis, Mollia cum duris, &c. Antitheton, id est, contrapositum, ab ἀντὶ, id est, contra, & θετὸν, positum.

Quæ Erotema, est inter numerata figuras.

Erotema est interrogatio, ut, Quis furor, ò ciues? quæ tanta licentia ferri? ab ἐρωτάω, id est, interrogo.

Dicta prius declarat Epexegesis apertè.

Epexegesis, est antè dictorum expositio, vel declaratio: ut, Tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis. Dicitur ab ἐπὶ, suprà, & ἐξήγησις, id est, expositio.

Emphasis, est sensus maior, quàm verba recludant.

Emphasis, est figura altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per seipsa declarāt: vt, Semper ego auditor tantùm? in, ego, est emphasis apud Iuuenalem. Emphasis interpretatur significatio, demonstratio, ab ἐμφαίνω, id est, demonstro.

Quod nihil ad sensum facit, esto Parelcon vbique.

Parelcon,

Parelcon, est dictionis aut syllabæ nihil ad sensum facientis adiectio, ut Adesdum; paucis te volo, dum, parelcon est, syllabica adiectio. Dicitur à παρέλκω, id est, produco.

Ob pulchram uocem quid factum, Euphonia fertur.

Euphonia, est mutatio quædam uenustioris gratia soni, ut redeo, pro reeo, ab εὖ, id est, bene, & φωνὴ vox, quasi bona uox.

Versus ad absentem dicetur Apostropha sermo.

Apostrophe, est ad absentem sermonis conuersio: ut, Te nunc appello Aphricane, &c. ab ἀποστρέφω, id est, auerto.


Dic Alloeothetan, contra artem quid uariatum.

Alloeotheta, est accidentium contra artem mutatio, ut, Pars in frusta secant, &c. continet enim sub se Antiptosin, Synthesin, & plures alias figuras. Et interpretatur aliter posita, ab ἀλλοῖος, idest alius & uarius, & θετόν, id est, positum, θέσις, positio.

FINIS.



GEORGIVS FEDRVS FELICI CARAR. S. D.



OBſignatis literis, quas ad te daturus eram, forte libellum, quem his adiunxi, reperi inter meas chartas; in quo pręſcripta uel deſignata potius eſſent quędã, quę ante biennium hic dictaui auditoribus meis, rudia quidem illa, & minuta, ſed neutiquam tamen, ut opinor, inutilia, & contemnenda. Nã de quibus olim me admonuerunt pręceptores mei inter emendandum, ea complexus ſum libello iſto. Hic ſi uidebitur curabis, ut edatur iſtic apud uos. Titulum facies, quem uolueris, tuo enim arbitrio permitto. Vale ex ędibus noſtris Pridie Idus Auguſti.


DE

DE CARMINIBVS AD VETERVM IMITATIONEM ARTIFICIOSE COMPONENDIS

praecepta bona, & vtilia,

Collecta à GEORGIO Sabino.

De versibus non fundendis ex tempore.



ERSVS ipso quasi orationis cātu ad omnem, & aurium uoluptatem, & animorum motum componi debent. Est enim Poetica quædam Musicæ species, & sicut Musicis in cantu, ita Poetis in carmine elaborandum atque enitendum est, ut omni sono permulceant. Componere autem uersus ad hunc modum summi est artificij, quo Poeta à uersificatore internoscitur. Nihil est enim

neque

neque fastidiosius aurium sensu, utpote qui in iucundo, uel uerbo, uel sono facilè offenditur, neque difficilius, quàm ad motum animorum accommodare orationis harmoniam. Nõ sunt igitur uersus subito ingenij impetu fundendi, ut nonnulli putant, sed arte formandi, & acri iudicio elaborandi sunt, stylus sępe uertendus est, ut inde etiam nominatos esse uersus, perhiberi posse uideatur, quod dùm fiunt, uariè huc atque illuc uertantur. Ac quanquam ingenij impetus non est nimium retardandus anxia elocutionis & compositionis cura, tamen cohibenda est præcipitantia, ad hanc enim assuefacti, plerumque effutiunt uersus neruis, & spiritu carentes, nec tam assequuntur facilitatem, quę in uersu commendatur, quàm futilitatem, qua nihil est in omni oratione odiosius. Hac de causa Horatius.

Omne (inquit) carmen reprehendite, quod nõ
Multa dies & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies nõn castigauit ad vnguem.

Sic Virgilium Maronem elaborasse uersus accepimus, qui propterea dicere solitus est, se ursino more carmen gignere, lambendoq; effingere. Huius exemplum imitari debent, qui in hoc genere studii uersantur, totisque ingènij

uiribus

uiribus eniti,ut quos ipsi gignunt uersus,etiam arte forment atque perficiant quātum possit.

DE VERBORVM DELECTV.

AVres in primis delectantur, & elegantia sermonis & suauitate compositionis. Elegantia sermonis sita est in uerbis, ac formulis loquendi ab optimis authoribus usurpatis: in quibus tamen delectus etiam habendus est: Neq; enim omnia uerba quę usu recepta sunt, eandem habent gratiam & uenustatem. Ac Poetę utuntur peculiari quadam phrasi. habent enim suas quasdam formulas ab Oratoribus diuersas: quippe ubi Orator dicit, afferre calamitatem, accipere beneficium, dissipare opes,tradere filio uxorem: Poetę dicunt, ducere fata,obsequium ferre,dilaniare opes, sumere nurum. Deligenda sunt igitur uerba illustria & Poetarum propria, in quibus uerbis inest plenum quidam ac sonans, ut Marcus Crassus apud Ciceronem docet. Nam in versu, quantum fieri potest,singula debent esse ad sonum exquisita. Nec rectè iudicat Viues de ratione dicendi,ubi scribit,carmen non modo recipere omne etiā uerborū & locutionis genus, uerum etiam tegere,adeò ut uerba antiquata

&

& nouata, ac phrasis dura atque horrida, minus notabilia sunt in oratione numeris adstricta, quàm soluta.

Ac contra omnino fugienda sunt Poetis uerba sordida, nisi ad argumentum necessariò requirantur. Sordida sunt, non tantùm quæ a sordidis & inquinatis rebus sumuntur, sed etiã quę humiliora sunt, quàm ut exprimant dignitatem rei significatæ. Eiusmodi enim uerba deformant uersum, non aliter ac maculæ preciosam uestẽ. Nec temerè hęc admoneo, quia apud authores & probatos reperiuntur interdum uersus inquinati uerborũ sordibus. Martialis libro decimo in Epigrammate non ineleganti, utitur uerbo satis humili ac sordido, ubi lucem serenam uocat sine face diem. Item Baptista Mantuanus in Parthenicis, ubi inquit, Mens pertæsa cloacam corporis.

Vitanda sunt item Græca uocabula, quãuis Latinitate donata, nisi sint usurpata a Poetis maximè probatis, ac in primis a Virgilio & Ouidio. Nec imitãdi sunt authores, apud quos extãt carmina Græcorũ Latina, qualia sunt hæc: Qui loca παντδαπῆ nouit tractare παλαίστη καὶ minus in sumptum δαπάνας leuis arca ministrat.

Nam eiuſmodi carmina uidentur non minus ridicula, quàm hęc, quæ apud Italos uulgo Macaronea dicuntur,

Si tibi dens caderet quoties fers ore baſiam,
Iam tua non poſſet pane ganaſſa frui.

Extant tamen eruditorum etiam in hoc genere luſus, Auſonij & quorundam etiam recentiorum.

Abſtinendum eſt itidem ſpurcis & obſcœnis uocabulis, nulla enim re honeſtorum hominũ aures atque animi tam offenduntur quàm obſcœnitate uerborum. Nec parum refert, admoneri hac de re adoleſcentes, cum multis ex uerſificatoribus adeo inſaniant noſtro tẽpore, ut turpiſſima quæque uocabula ex Satyricis Poetis excerpant, quę ſuis intexant carminibus, tanquam inſignia ornamenta. Horum uerſibus, nihil eſt, ne lutum quidẽ lutulentius.

Quæ uero ſine turpitudine nominari nequeunt, periphraſi efferenda ſunt, quemadmodum, & ea quæ uidentur ſordidiora. Sic Petrus Bembus in carmine iocoſo, ubi facit loquentem obſcœnum cuſtodem hortorũ, uocat mentam puſillam, membrum illud quod natura corpori affixit pro creationis cauſſa. Sic Iacobus Sanazarius, partem poſteriorem uerendam

dam non minus uenuſtè, quam uerecundè circumlocutus eſt his uerbis; Vnde prodeunt auræ, quę de Sabęis meſſibus nihil ſpirant. Et Virgilius, ubi de conceptione equarum loquitur, ut rem parum ſpecioſam dicto, honeſtius exprimat, aruum genitale uocat, naturam equinam.

Cęterum, uerba maximè illuſtria ſunt, quæ uocantur translata, hęc teſte Cicerone tanquã ſtellę lucent, atque illuſtrant orationem, nec tantum aures oblectant, ſed etiam animum mouent ac ducunt. His igitur potiſſimum illuminandi ſunt uerſus, nec immodice tamen, ſed ita quemadmodum fieri in pictura ſolet, ut umbris etiam relinquatur locus, quo magis id quod eſt illuminatum, extare atque eminere uideatur. Nam multa etiam in uerſu efferenda ſunt propriè, ac quemadmodum illa Nais Virgiliana:

Pallentes uiolas, & ſumma papauera carpens,
Narciſſum, & florê iungit bene olentis anethi,
Tum caſia, atque alijs intexens ſuauib⁹ herbis,
Mollia luteola pingit uacinia caltha.

Sic immiſcere translatis propria debemus, nec ſemper uti eodem flore eloquentię.

DE STRVCTVRA VERBORVM.

COmpositionis suauitas cõsistit partim in structura, qua dictiones inter se coagmẽtãtur, partim in collocatione epithetorũ, partim ẽt in concinnitate pedum, numerorũ, membrorum, & figurarum, de quibus singulis ordine dicemus. In structura seu coagmentatione, uitanda sunt quæ sonum efficiunt hiantẽ & confragosum, ut concursus uocalium, asperitas consonantium, ac similitudo literarum, uel syllabarum. Iungenda sunt igitur uerba molliter & aptè, ut sine hiatu & asperitate copulentur, sicut hæc inter se iuncta sunt.

Impiger Aenea uolitantis frater amoris.

Hic enim nihil est durum aut confragosum. Concursus tamen earundem uocalium minus insuauis est, ac præsefert quandam grauitatem coniunctam cum lenitate, ut apud Virgilium:

Ille ego qui quondam. *Item.*

Ipsi in tus dextra, ac læua pro turribus adstant.

Sępe etiã diuersæ uocales habent suaue qddã, cùm non copulandi necessitate, sed implendi sono gratia concurrunt, ut in his uersibus:

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contẽptor diuum Mezẽtius, agminaq. armat.

Poterat

Poterat enim Virgilius hic dicere agmen & armat, nisi indicasset numerum hiatu fieri hoc loco pleniorem.

Nec asperiores consonantes semper uitādę, sed interdum arte conquirendę sunt ad res exasperandas, & simili sono exprimendas, sicut a Virgilio factum est in hoc uersu,

Nūc rapidus retro atq; æstu resoluta resorbet Saxa.

Hic singulę dictiones constant literis asperioribus, quibus exprimitur fluctus & fremitus ęstuantis maris tam artificiosè, ut quasi auribus percipiatur.

Similitudo quoque literarum, uel syllabarū non semper uitanda est, nam interdum apta literarum, uel syllabarum allusio aures afficit uoluptate, ut in hoc uersu Virgiliano;

Auia tunc resonant auibus.

Neque est adeò ridiculus, ut Grammaticis quidem uidetur, ille uersus Ciceronis;

O fortunatam natam me consule Romam.

Habet.n.allusionē iucundā aurib. non ineruditis, qua uir quidam eruditus delectatus composuit Dialogū, qui inscribitur Echo, ad cuius imitationem olim lusi carmen, quod exempli caussa, qualecunq; est, huc adscribendū duxi.

Dic mihi, Nympha cauis habitas quę uallibus Echo.
Semicaper Faunus cur ita clamat? *Echo*, amat.
Quæ tamen illa furit cuius malè ſanus amore?
Diuitis an Codri filia Nais? *Echo*, ais.
Eſt opulẽta quidem, ſed turpibus obſita rugis:
Debuit hanc bifrons ducere Ianus. *Echo*. anus.
Candida me uero Thaumantias urit amantẽ,
Cuius forma decẽs & generoſa: *Echo*, roſa.
Huius amore flagro, ſed dic reſonabilis Echo,
Quæ res ergo graueis ſunt in amore? *Echo*, morę.
Ver eſt conueniens, blandis & amoribus aptũ,
Vere nouo ſpõſum me fore reris? *Echo*. eris.
Interea gelidis in uallibus ipſa ualeto:
Vox tua ſæpe mea uoce ſonabit. *Echo*, abit.

Eſt autem hæc reſonãtia non modo elegãs, ſed Latinę etiam linguæ propria, id quod frequens uſurpatio indicat. ubique enim ſunt obuia exempla.

DE EPITHETIS.

VErſus abſq; epitheto nudus eſt, & uelut incõptus. Crebra igitur epitheta intexi debent,

debent,non tamen otiosa, sed ex intima ratione ac natura rei deprompta. Quę duriora aut prolixiora sunt,compositionem reddunt insuauem,ut hæc, tonantisonus, stellimicans,& similia.

Venustè autē collocātur epitheta, ante ipsa (ut uocant) subiecta,præsertim ita, ut quadā uicissitudine cum illis iungantur hoc modo;
Vecta est frenato cærula pisce Thetis.

Nec minus habent gratię, cum per interiectas orationis partes a subiectis separantur, permanente tamen eadem uicissitudine, ut in his uersiculis Ouidianis,
Clauda quod alterno subsidūt carmina uersu.

Illud quoque non caret uenustate,cum epitheton collocatur in principio carminis, & nomen,cui epitheton attribuitur, in fine, ut,
Puluerulenta coquit maturis solibus æstas.
Præcipitem Oceani rubro lauit ęquore currū.

Quæ collocationis forma & in binis uersibus est longè uenustissima, ut apud Virg.
Nigra uelut magnas domini cum diuitis ędes
Peruolat, & pennis alta atria lustrat hirundo.

Item apud Ouidium.

Fertilis assiduo si non renouetur aratro.
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

DE CONCINNITATE PEDVM, membrorum, & numerorum.

IN compoſitione metri, nihil eſt elegãtius, nihil concinnius, quàm ſi pedes inter ſe, quaſi catena quadam colligentur, ut in his pentametris.

Plena uerecundi culpa pudoris erat.
Alta puellares tardat arenæ pedes.
Longa laboranti furca tuliſſet opem.
Illa Clytemneſtra digna querela fuit.
Sæpe ſimultates ira morata facit.
Aegra ſuperpoſita membra fouere manu.
Noſtra uerecundo uota pudore carent.

Item in Hexametris.

Troia iacet certè Danais inuiſa puellis.
Arte citæ, ueloque rates, remoque reguntur.

Sed non oportet uerſus omnes eſſe uniformes, ne ſimilitudo, quę (ut inquit Cicero) eſt mater ſatietatis, afferat faſtidium. Quapropter non ſemper retinenda, ſed ſępe immutanda eſt hęc forma, tametſi ſit elegantiſſima. Interdum ergo laxanda ſunt uincula, quibus pedes conſtringuntur.

Laxari autem commodiſſimè poſſunt, ante ſecundum & ſextum pedem, ut:

Mintius,

Mintius, & tenera prætexit arundine ripas.

Nam solutio his duobus locis uix animaduertitur.

Laxantur item uincula non rarò ante quintum pedem, ut:

Fingit iter Lemnon, ueniunt ad fœdus amãtes

Nimia tamen solutio uitiosa est, qualis hęc

Romę mœnia terruit impiger Hãnibal armis.

Nam hic uersus, etsi constat uerbis sonantibus, tamen nimia solutione tanquam deficiente habitu amittit quidquid habet sonorũ, ac maximè in priore parte, nam in posteriore minus id sentitur, ubi continua solutio interdum accidit ipsis auribus non ingrata, propter uarietatem, ut:

Horrescit strictis seges ensibus, ęraque fulgẽt.

Ipsæ autem uoces, siue multarum, siue paucarum syllabarum fuerint, quo maiore cũ gratia continuentur, accommodari rebus, & satisfacere affectibus debent. Idcirco natura pedũ & uocum consideranda est diligenter. Spondei sunt natura graues ac tardi. Horum continuatio apta est querelis & lamentationibus, nimia enim grauitate redduntur numeri subtristes. maximè uerò gaudent spondei, uocibus monosyllabis aut binis aut ternis. Nam & harum

conti-

continuatio tarditatem auget, & in lamentatione ſingultus quaſi quoſdam refert, ut apud Virgilium:

Tum demũ admiſſi ſtagna exoptata reuiſunt,
Me me, aſſum, qui feci, in me conuertite ferrũ,
Non hęc ò Palla, &c.

Spondei itidem rebus arduis & grauibus exprimendis idonei ſunt, præſertim ſi foueantur unius ſyllabę uocibus, aut continuis, aut permiſtis, ut apud eundem Virgilium.

Illi inter ſeſe multa ui brachia tollunt.
Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent.

Hic enim continui ſpondei mira tarditate, & grauitate exprimunt, in altero uerſu magnitudinem ſaxi a Turno ſublati, in altero magnitudinem laboris, quo Cyclopes, in fabrica Vulcani exercentur ad incudem, eamque tarditatem augent monoſyllabę uoces, quarũ cõpoſitio per ſe tarda eſt, eo quòd tranſitus a dictione ad dictionem affert moram.

Contra dactyli, properationem atque hilaritatem quaſi quandam præ ſe ferunt, pluriumque ſyllabarum dictionibus fiunt uolubiliores. Hi continuandi ſunt, cùm aliquid explicandum eſt, aut iucundè, ut apud Virgilium:

Pone

Pone metũ Cytherea, manent immota tuorũ
Fata tibi.

Aut festinanter; ut,

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas;
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Item.*

- Conuellimus altis
Sedibus, impulimusque, ea lapsa repetè ruinã
Cũ sonitu trahit, & Danaum super agmina latè
Incidit.

Hic omnes ferè pedes constant uocib. polysyllabis, suntque Dactylici, quorum tanta est uolubilitas, ut ipsam & fugę celeritatẽ & ruinam impulsæ turris, anteuertere uideantur.

Ergo utrumque præstandum est, ut mutetur forma uersuum, & rebus accommodetur. Ea uero mutari potest, non tantùm uarietate pedum ac dictionum, sed etiam orationis periodo, eiusque partibus, quæ incisa & membra nominantur. Nam interdum integer uersus periodo inclusus, perfectam & absolutam sententiam uno membro comprehendit, ut,
Sicelides Musę paulo maiora canamus.

Aut sesquialter; ut,

Inde lupę fuluo genitricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem.

Item.

Item:

Nec circumfuso pendebat in aere tellus
Ponderibus librata, suis.

Aut bini uersus integri, ut;

Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Syluestrem tenui musam, meditaris auena.

Item:

Hospita Demophoō tua te Rhodopeia Phyllis
Vltra promissum tempus abesse queror.

Aut bini cum dimidio, ut apud Catull.

Scilicet in uario ne solum limite cœli,
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret.

Apud Virgilium & Ouidium, cùm periodus unius membri ultra binos uersus excurrit, ne longior continuatio obtundat aures, plerũque dialysis seu parenthesis intexitur, ut,

Nõ iaculũ (neq; enim iaculo uitã ille dedisset)
Sed magnum stridẽs contorta phalarica uenit
Fulminis acta modo.

Item:

Pace tua (si pax ulla est tua Pontica tellus
Finitimus rapido quam terit hostis equo)
Pace tua dixisse uelim.

Aut terni uersus, ut apud eundem Ouid.

Languor & immodici nullo sub iudice somni,

Aleaque

Aleaque & multo tempora quassa mero.
Eripiunt omnes animo sine uulnere uires.

Item:

Pone metũ, ualeo corpusq. quod ante laborũ
Impatiens nobis, inualidumque fuit,
Sufficit atque ipso uexatum induruit usu.

Qui quidem terni uersus, etsi periodo includuntur, tamen non planè unius membri continuatione constant, neque enim unicum membrum, tam longe produci potest sine offensione auriũ, nisi aptè interponantur circuitionũ particulæ, quibus interpositis longissimè extendi periodus potest, ut apud Virgilium in Georg.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere Mecœnas, ulmisque adiungere uites
Conueniat, quæ cura boum, quis cultus hñdo,
Sit pecorĩ, atq. apibus quãta experiẽtia parcis
Hinc canere incipiam.

Item:

Vos ò clarissima mundi
Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres, uestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista,
Poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis?
Et uos agrestum præsentia numina Fauni:

Ferte

Ferte simul, Fauniq. pedē, Dryadesq. puellæ.
Munera uestra cano.

Interdum etiam nulla periodo circumscribuntur uersus, sed carpuntur membris minutioribus, ut apud Ouidium:

Poma dat autūnus, formosa est messibus ęstas,
Ver prębet flores, igne leuatur hyems.

Apud Ioannem Campanum.

Pauper erat fieri uult diues, cogitat unde,
Vendidit uxorem Mentius, emit agrum.

Apud Virgilium.

Marsa manus, Peligna cohors, festina uirùm
uis.

At uero periodica uerborū continuatio maximè probatur in uersibus, præsertim tunc, ubi aures aliquid fusius desiderant quo expleantur, ut in exordijs, in amplificationibus, & in cōclusionibus. In hac continuatione in primis concludendi sunt uersus sedati, molles & blandi, qui enim placidè ac leniter quasi fluunt, longiore orationis ductu sustinendi sunt. Acres uero & ardentes uersus, magna ex parte debent esse concisi, & in membra distracti, quales sunt in contentione inter Turnum & Drancem, apud Virgilium.

Pone animos, & pulsus abi, sat funera fusi

Vidi-

Vidimus, ingentes & desolauimus agros.

Item;

- Possit quid uiuida uirtus
Experiare licet, non longè scilicet hostes
Quęrendi nobis, circumstant undique muros.
Imus in aduersos, quid cessas? an tibi Mauors
Ventosa in lingua?

His itaque & similibus, uocum, pedum, circuitionum, membrorumq́ue commutationibus, facilè effici potest, ne uersus sint uniformes, sed ut induant diuersum quasi habitum, rebus accommodatum, usque affectibus exprimendis satisfaciant.

DE FIGVRIS QVIBVSDAM.

Adhibendæ sunt ẽt figuræ, nam & hæ faciunt uarietatẽ, & sine his uersus caret gestu. Nulla autem figura plus uarietatis affert, quàm iteratio, eaque habet locum, ubi feruet oratio, uel asseueratione, uel obtestatione, uel dolore, uel simili affectu. Ac in primis iucunda est iteratio initij, qualis hęc apud Angelum Politianum.

Semper erit magni decus immortale Maronis:
Semper inexhaustis ibunt hæc flumina uenis,
Semper

Semper ab his docti ducentur fontib. haustus,
Semper odoratos fundent hæc gramina flores.

Et apud Ouidium.

Hoc tenuat dentem terram findentis aratri,
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sæuas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, mæstaque corda leuat.

Et apud Tibullum.

Quàm citò purpureos amittit terra colores,
Quàm citò formosas populus alta comas,

Sed hæc iteratio initij apud Elegiographos etiam pulchrè uariatur alternis uersibus. Vt apud Ouidium:

Omnia naturę præpostera legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia iam fient, fieri quæ posse negabam:
Et nihil est de quo non sit habenda fides.

Item:

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Prębet & inuito colla premenda iugo.
Tempore paret equus lętis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo quæ fuit antè, manet.

Item:

Ecce super fessas uolitat uictoria naues,

Tan-

Tandem ad Troianos diua ſuperba redit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia caſtris,
Iam tibi prędico barbare Turne necem.

Item.

Ah quoties illo uitulum geſtante per agros,
Dicitur occurrens erubuiſſe ſoror.
Ah quoties auſæ, caneret dum ualle ſub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boues.
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit & è templis irrita turba domum,
Sæpe horrere ſacros doluit Latona capillos,
Quos admirata eſt ipſa nouerca priùs.

Eſt & alia iteratio ſeu repetitio initij, cum pentameter uerſus deſinit in eaſdem uoces, uel duas, uel plures. à quibus hexameter incipit, ut apud Ouidium:

Phœbus adeſt, ſonuere lyræ ſonuere pharetrę,
Signa Deum noſco per ſua, Phœbus adeſt.

Item.

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido,
Attice crede mihi, militat omnis amans.

Item.

Ilia pone metus, tibi regia noſtra patebit,
Teq; colent omnes: Ilia pone metus. *Item.*
Graia iuuĕca uenit, quę te patriamq; domũq;
Perdat, Io prohibe, Graia iuuenca uenit.

 Item.

Item.

Nullus erat, referoq; manus, iterumq; retẽdo.
Perq; totum moueo brachia, nullus erat.

Et apud Ianum Pannonium.

Frigus & humor agũt, uel uexẽt corpora morbi,
Vt nata intereant frigus & humor agunt.

Item.

Culpa tua est, quicquid fecit Tithonia coniũx.
Quicquid & Acetæ filia, culpa tua est.

In hoc genere uersificatores sæpe ineptiunt. Nam id bellum quidem esse uident, sed scitè usurpare nequeunt.

Huic iterationi cognata est, quam epanalepsin uocant, nempè cùm eiusdem carminis, vel heroici uel pentametri initium ac finis, idem est, ut:

Multa super Priamo regitans, super Hectore multa.
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.
Ante etiam sceptrum Dictæi regis & ante.
Victus amore tui, cognato sanguine victus.

Hunc κύκλον uocant Grammatici.

Culpa tua est, quãuis hæc quoq; culpa tua est.

Baptista Mantuanus epanalepsin non inuenustè locupletauit, iterato quoq; initio sequentis uersus heroici, ut:

Arma

Arma ſacerdotes animus flagrantibus arma,
Arma fremunt.

Prçterea eſt quçdam initij & finis iteratio acrimoniç, & uenuſtatis plena, quam Rhetores complexionem uocant: ea fit in hũc modũ, ut apud Ianum Pannonium in querela Italiç ad Federicum III. Imperatorem.

Quòd ceſſat Phœbça chelys, quòd carmine rupto
Aoniç ſiluere deç, Mars impius egit,
Quòd ſpretis audax muſis petit arma iuuẽtus.
Et uolucres premere audet equos: Mars impius egit.
Quòd cernis nullum deſerta per oppida ciuẽ,
Nec campis errare greges: Mars impius egit.
Quod ligo, quòd uomer, quòd ſarcula raſtra, bidentes,
In gladios abiere truces: Mars impius egit,

Venuſta eſt quoque iteratio, ubi poſterior pars pentametri eſt initium ſequentis hexametri, ut apud Ouidium.

Vt mihi ſunt toties maxima uota mori,
Vota mori mea ſunt.

Aut ubi dictio, quç claudit prçcedentem uerſum hexametrum, inchoat ſequentem, ut:

-Atque omnibus vni,

Vni odijsq; viro, telisque frequentibus instant,
Iuuenum pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens.
Pierides uos hęc facietis maxima Gallo,
Gallo cuius amor.

Simplex iteratio est, sed plena uenustatis, cùm idem uerbum sępius repetitur, uno atque altero uerbo interiecto, ut apud Virgilium:

Restant bella aspera restant.
Quibus ille uiros, quibus excitat urbes.

Et apud Ouidium.

Fuit ah fuit utile tecum
Ire mihi,
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Ipse tuus custos, ipse uir, ipse comes,
Vna fides, unus lectus, & unus amor.
Conuenit illa mihi, conuenit illa tibi.
Altera tela arcus, altera tela faces.

Ad iterationem pertinet & epanodos, seu regressio, quę fit hoc modo:

Cōpulerātq; greges Corydō & Thyrsis in vnū:
Thyrsis oues, Corydon distētas lacte capellas.
Iphytus & Pelias mecum, quorū Iphytus ęuo
Iam grauior, Pelias & uulnere tardus Vlyssi.

Est & traductio iterationi affinis, quę repetit idem uel nomē mutato casu, ut apud Virg.

Litto-

Littoria littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma, armis.
Et apud Lucanum.
Pila minantia pilis. *Et apud Ouid.*
Æmonis Æmonio Laodamia uiro.

Vel uerbum mutatis modis ac personis, ut apud Virgilium:
Est bene non potuit dicere: dixit, erit.
Et apud Ouidium.
Et tibi si non uis parcere, parce mihi.
Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
Certa fui, certi si quid haberet amor.
Causa fuit multis noster amoris amor.
Quam sine te cogis uiuere, coge mori.

Elegantissima est in hoc genere quasi πλοκή. nam & artificiosa hęc forma est, & sententiosa, ut:
Si, nisi quę facie poterit te digna uideri,
Nulla futura mea est, nulla futura tua est.

Scribunt Sappho poetriam, hac figura traductionis fuisse consecutam quidquid laudis in carmine habuit. Porrò inter insignia schemata, quibus carminis forma exornatur, ac ueluti coloribus distinguitur, articulus quoque & polysyndeton numerantur. Articulum uocant, cum singulę uoces interuallis distin-

Item.

Troia uirum & uirtutum omnium acerba cinis.

Nec imitanda ſunt omnia quæ à Catullo vſurpantur. Nam ut apud Ennium, ita & apud Catullum multa ſunt horrida, & imitatione indigna. Extat apud Martialem elegans epigramma, quo irridentur hi, quibus uerſus iſtorum ſimiles probantur. Eſt autem epigramma ſcriptum in quendam Chreſtilum.

Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per ſalebras, altaq; ſaxa cadunt.
Et tibi Mæonio quod carmine maius habetur
Lucilij, Columella, hic ſitus Metrophanes.
Attonitusq; legis terrai frugiferai,
Actius, & quicquid Pacuuiusq; uomunt.

Ridiculi igitur iudicandi ſunt qui tales verſus admirãtur, cumq; propter ingenij imbecillitatẽ nequeunt aſſequi concinnitatem Ouidianam, ſeſe conferunt ad imitationem Catulli. In fine pẽtametri vitanda ſunt participia, ut,
Ore nitens, corde tremens.

Eodem in loco rariſſimè uſurpandæ ſunt voces, duabus ſyllabis longiores. Nam diſſyllabæ ſemper uenuſtiùs claudunt pentametrum, quã

uel trium uel plurium ſyllabarum uoces. Oui dius in omnibus ſuis ſcriptis vix decies (ut puto) utitur tetraſyllabis & triſyllabis, nec niſi in rebus triſtibus: quibus numeros etiam triſtiores & languidiores conuenire duxit, ut libro primo Triſt.

Iam prope lux aderat, qua me diſcedere Cæſar
Finibus extremæ iuſſerat Auſoniæ.

Item lib.3.de Ponto ad coniugem.

Sint utinam mites ſolito tibi more, tuaſque
Non duris lachrymas uultibus aſpiciant.

Item.

Interdicta mihi cernitur Italia.
Vnda ſimul miſerum, vitaque deſeruit.
Vt caream culpa, mors quoque non faciet.
Tranſeat inſtabiles ſtrenua Cyaneas.
In quibus ipſe ſuum faſſus adulterium eſt
Qui fuit, & dubitas cętera perlegere.
Spectarem qualis purpura te tegeret.

Hęc igitur apud hunc rariora.

Monoſyllabæ quoque uoces eodem in loco uitioſæ ſunt, niſi aut duæ ſimul ponantur, vt apud Ouidium.

Præmia ſi ſtudio conſequor iſta, ſat eſt.

Aut eliſio, ſeu hiatus pręcedat, ut apud eundem.

Heu

Heu quanto melior sors tua sorte mea est.

Nam aliàs horridè & duriter sonant, ut apud Catullum.

Hæc à te dictaque, factaque sunt.

Ouidianum hoc melius est:

Omnis an in magnos culpa Deos scelus est?

Cætera quæ ad artificium Poetæ requiruntur, lectione, usu & exercitatione discenda sunt, non possunt enim omnia præceptis tradi: requiruntur autem, præter hęc multa, nempe exquisitæ & illustres sententię, quibus carmina tanquam floribus aspergantur: item commorationes & expolitiones earundem sententiarum, Decet enim Poetam ubi opus est, in eadem & una re commorari, eamque multis modis uersare. Ac in primis requiruntur hypotyposes, digressiones, descriptiones, pathopœię, & sermocinationes ad res pręsertim animi expertes: cuiusmodi sunt apud Virgilium, quibus Mezentius suos equos, & Turnus suam hastam alloquitur. Similitudines item elegantes, quales sunt, cùm Heroes assimilantur, uel proceris arboribus, uel Orioni, ut apud Virg.


At uerò ingentē quatiens Mezentius hastam
Turbibus ingreditur campo, quàm magnus
Orion

Cùm

Cùm pedes incedit medij per cærula Nerei
Stagna, viam ſcindens, humero ſupereminet undas:
Aut ſummis referens annoſam montibus ornum.
Ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit.

Sed hæc quæ reliqua ſunt, obſeruatio, & uſus docebit. Reſtat igitur ſtudium, & diligentia & cura, ſine qua nihil unquam bene & laudabiliter factum eſt, neque fieri poſſe ſperandum.

FINIS.




SYNTAXIS LATINA, FACILI CARMINE CONSCRIPTA.

Pantaleonte Bartelonao Rauerino Authore.

ANTONIO GEBENNENSI, A BLEGNEIO, V. C.

ROB. VVIDIVS S.



ORSAN non mirũ modò, verumetiam indignum videri poſſit, ꝙ tibi pueriles artes iam dudum egreſſo, iuriſprudentia, grauioribuſq; literis adprimè erudito, paruula hæc linguæ Latinæ ru-

rudimenta nnncupari voluerim.
Causam, quæ me ad id mouerit,
posteaquàm cognoueris, mirari
desines, clarissime Antoni. Cùm
opusculum hoc Pantaleontis Bar
telonæi pręceptoris quondã mei,
nondum editum reperissem, offi-
cij mei esse duxi id agere cum con
discipulis quibusdã, vt quasi po-
sthumus quidã, post obitum au-
thoris sub nomine tuo nasceretur
in vulgus. Hoc pacto duobus me
simul officijs satisfacere videbam,
vt & meum, qui alias fuerit in vi-
uum, & nunc sit in mortuum, ani-
mum declararem: & hoc munu-
sculo, quamuis leuidẽsi, amorem
erga te meũ profiterer præcepto-


rum

rem illum meum in me miro animo fuiſſe ſenſi:ego, quo tu inſtitutore uſus es aliqñ (utinam ſatis digno) quàm te amem,quàm obſeruem, quantifaciam, cùm noueris ipſe per te,tum omnibus huius libelli frons indicabit. Erit igitur puerorũ,qui fructu huius opuſculi fruentur,Pantaleonti gratiã habere: in nobis mutui cuiuſdam incredibilis inter magiſtros & diſcipulos amoris imaginem,& exemplum ad æternam memoriã intueri.Ego hoc idem poſthac,ſi potero,grauioribus indicijs, certioribuſq; notis declarabo.Interim valebis Lutetiæ. ex collegio Rhemenſi: Poſtridie Id. April.1571.

ROB.

R. VVIDIVS TORNODORENSIS

Rauerinæ Iuuentuti S.



OLEBAT pręceptor ille noster Adoleſcentes, hoc identidem dicere, animisque noſtris inculcare, NIHIL charius ſibi eſſe poſſe diſcipulo ſtudioſo, & grato. Quod & ita eſſe, poſtea in me ſenſi, qui huiuſmodi diſcipulos meos quantopere amem, dicere profectò non poſſim: & ita meritò, probabiliterque accidere ex his, quę dicam, intelligere poteſtis. Primum gratum eſt beneficium omne, & iucundum accipienti: deinde gratiſſimum illum demum eſt, cum quę ęquum eſt benefacere, is facit, inquit Terentius. Quid uerò eſt ęquius quam a diſcipulo pręceptorem beneficio adiuuari, & ornari? An eſt obſecro, paucis ex-

ceptis, quod cuiquam tantum debeamus, quantum præceptori? Quòd si ea de re præceptum aliquod à magnis authoribus requiritis, en uobis Aristoteles communis disciplinarum Magister, qui decimo de moribus cum ijs, à quibus philosophiam didiceris, id est, cum præceptoribus & ludimagistris, negat de præmio esse paciscendum, quamobrem? quia, inquit, ut neque dijs, neque parentibus, ita nec præceptoribus, τιμὴ ἰσόῤῥοπος ἂν γένοιτο, ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν πρὸς ἐκείνους τὸ ἐνδεχόμενον. Sin exemplum uos mouet, in promptu est Alexander Magnus, qui Aristotelem, authore Plutarcho, ἐθαύμαζε τὸ καὶ ἠγάπα οὐχ ἧττον ὡς αὐτὸς ἔλεγε, τοῦ πατρὸς ὡς δὶ ἐκεῖνον μὲν ζῶν, δεὰ τοῦτον δὲ καλῶς ζῶν. proinde carmine maiorum umbris bene precabatur Achilles, qui

Præceptorem sancti uoluere parentis
Esse loco.

Hæc adeò causa, me, meosque condiscipulos Ioan. Iunottum, Cl. Lauberottum, Ioan. Nicoleum claros uiros impulit, ut data hac occasione, manes præceptoris nostri grata recordatione prosequeremur.

Nacti


Nacti enim nos, quam uobis comparauerat, & dictare solebat Syntaxim, ut ea non solum exiret in uulgus, sed etiam quàm emendatissima exiret, id egimus: hoc, credo, pacto duplex commodum consecuti, & ut grati animi fidelem memoriam erga pręceptorem testaremur, & ut quod uobis tantum prodesse poterat, publicè prodesset. Nam ut uerè quod sentio, dicam, in omnibus Grammaticis, qui de Latina Syntaxi scripsere, quamuis multi sint, non arbitror quemquam commodius, faciliusque hoc nostro Pantaleonte scripsisse. Putet quispiam hoc mé commendandi pręceptoris gratia dicere. Verùm rem ipsam uideat, mecum consentiet. Primùm quis non concedat uerum esse, quod tradit Horatius,

Quicquid pracipies, esto breuis, ut citò dicta
Percipiant animi faciles, teneantq; fideles?

Atqui miro compendio tota illa res hic est comprehensa. Porrò docendarum artium propriam esse uiam, & rationem, quæ διαιρετικὴ appellatur certum est, qua summa initio rerum capita, deinde partes, & membra sigillatim distribuuntur, definiuntur, exemplis,

exemplis declarantur, neque plus minusve dicitur, quam quod ad rem sit necessarium. PANTALEON hęc præstat, & quidem commodissimè postquam primo generale statuit præceptum, diuidit, & partitur, partes eo quo proposuit, ordine prosequitur, tum definitionibus, tum exemplis, & quod separatim annotandum est, post submonet, & quo commodius omnia faciat, iam nunc debentia dici pleraque differt, & in tempus pręsens omittit, alioque reijcit, ad ea quæ Supplementa uocat, figuras grammaticas non prætermittit, seorsum tamen suo loco tractatas, tum quasi per indicem breui tabula capita omnia complectitur, ut memoriæ pueri rem omnem quasi uno aspectu intuentis facilius inhęreant. Postremò uiderat, quod ait Aristot. in Rhetoricis, τὸ ἔμμετρον εὐμαθὲς, ὅτι εὐμνημόνευτον. διὸ καὶ τῶν μέτρων πάντες μνημονεύουσι μᾶλλον, ἢ τῶν χύδην, quæ ei causa fuit, ut metro regulas uinciret, & colligaret ad memoriam. prorsus uidetur totum se retulisse ad facillimum, expeditissimumque docendi modum. Quare nolite inuidere, Adolescentes, hoc quod priuatum uobis, propriumque destinarat nostrorum ingeniorum ille parens, nunc

commune omnibus, publicumque fieri. Id enim est benignitatis humanę, uelle aut per se, aut propter se quāplurimis benefieri, aut oībus si fieri possit. Sed uestrum erit, & omnium, qui eadem ętate sunt, hunc assiduè libellum manibus terere, & uersare, cui si adiungatur illa quam idem author contexuit, de arte uersificatoria Epitome, profectò nihil deesse ad optima Grammaticæ, & poeseos fundamenta arbitrabor. Valete. Lutetiæ, in gymnasio Rhemensi, Postridie.
Id. April. M D LXXI.



AD

AD ERVDITISS. VIRVM D. ROBERTVM VVIDIVM,

De hac Pantaleontis Syntaxi Bernardi diſcipuli, carmen.

AEterna eſt uirtus clari poſt funera Achillis.
 Troica quod forti geſſerit arma manu,
Aſt ubi Mȩonio celebrata in carmine manſit,
 Cum celebri maior nomine uenit honos.
Sit licet æterno Muſæ, ſtudijǵque labore
 Conſcripti noſtri Pantaleontis opus:
Clarius eſt nobis, tantæ quod dona Thaliȩ
 A docto remanent nunc renouata uiro.
Sic magna authori debetur fama, minoris
 Nec tamen Vuidius præmia laudis habet;
Non minor eſt horum ſi quidem, qui ſcripta reſeruant
 Laus hominum, quàm qui cōpoſuere prius.


IN RECORDATIONEM
OBITVS
RI
MAG. PANTALEONTIS
BARTELONÆI,
Viri quondam præclarissimi,
Ioannis Iunotti eius discipuli,
Epigramma.

HActenus innumeri scripsere Palæmonis artem.
Quos sua commēdāt dogmata, Grāmatici;
Pantaleon fuerat partem sortitus in illis,
Cuncta breui illorum dans documēta libro.
Ast fera, Terrigenum uelut est inimica diebus
Atropos, authorem sustulit è medio.
Sustulit Authorē, nomen, famamque reliquit;
Funera post, cuius nobile uiuit opus.
Hunc ego tam uarijs ausim præferre laborem,
Versibus, exemplis, ordine, iudicio.
Illū igitur cupidis manibus cōplectere Lector,
Scribere quem cedro digna, uidere potes.
Viuit post funera uirtus.

SYN-

SYNTAXIS LATINA FACILI CARMINE CONSCRIPTA.

Pantaleonte Bartelonæo Raueri-no Authore.



Intaxis, quæ Latinè constructio uertitur, est partiũ orationis structura quędam, & congrua dispositio. Quæ trib. potissimũ cõstat, Cõgruẽtia. s. Exigẽtia & delectu.

Congruentia quadruplex.

Adiectiui cum substantiuo,
Relatiui cum antecedente,
Interrogatiui cum redditiuo, &
Nominatiui cum uerbo.

Adiectiui cum substantiuo conuenientia.

In casu, genere, & numero, da mobile fixo.

Sensus est; Adiectiuũ cum substantiuo genere, numero, & casu conueniat necesse est, ut,

Acutus gladius,
Solea ferrea.
Scholare murmur.

Pinguis uenter non gignit ſenſum tenuem:

Sic in Pronominibus.

Noſter es,& noſtro de grege ſemper eris.
Iſtam fortunam tui mores promeruerunt.

Et Participijs.

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.
Ouidius,Forma uiros neglecta decet.

Submonitio.

Subſtantiuum, eſt quod per ſe ſubſtat uerbo, ut

Hic pater,
Hęc mater,
Hoc mancipium,
Hic, & hæc parens.

Adiectiuum, eſt quod ſubſtantiuo neceſſario adijcitur,ut cum uerbo ſenſum perfectum red dat,ut,hic,& hæc,& hoc fœlix,
hic,& hæc fortis,& hoc forte,
hic Acer,hæc acris,& hoc acre:
Studioſus,ſtudioſa,ſtudioſum.

Relatiui cum Antecedente conuenientia.

Stat genere,& numero pracedens cum referente.

Diuerſos

Diuersos diuersa parit constructio casus.

Sensus est, Relatiuum cum antecedente sub stantiuo genere, & numero cohæret; ut, Fœlix homo, qui nihil debet. Horatius.
Grata superueniet, quæ non sperabitur hora.
Neque necesse est ea in casu consentire, quod a diuersis uerbis sępius regantur, ut,

Video pauperem, cuius misereor.
Testa tenax odoris, quo primum imbuitur.

Submonitio.

Relatiuum de quo intelligitur regula, est quod refert, & repetit antecedens substantiuum, Qui quæ, quod, ille, is, idem, & ipse. Antecedens, est sine cuius intellectu, non consistit relatiuum: Omne scilicet nomen substantiuum cuiuscunque generis, ac numeri.

De alijs relatiuis, quæ dicuntur relatiua sub stantię diuersitatis, & de relatiuis accidentis, quę referunt antecedens adiectiuum, inter supplementa disputabitur.

Interrogatiui, & redditiui conuenientia,
Respondere pari debes, & quærere casu,
Ni uocum absimilis constructio forte pugnet.

Sensus est: Interrogatiuum, & Redditiuum

in casu conuenire sufficit: ut, Quis tibi uideor? Aeque miser, atque ego.

Quarum rerum non est unquam satietas? diuitiarum.

Submonitio.

Inter Quæsitiuum, & Redditiuum non conuenit, cum eadem dictio reddi non potest, ut, Si quæratur; Quotennis est pater tuus?

Non respondebis.

Centennis, cum sit uox inusitata, sed, Centum annorum.

Et cum multiplex est uerbi constructio, ut si quæras: Quanti emitur uoluptas? Respondebis, Nimio. Cuius interest? non mea, aut tua, sed illius cuius interest.

Nominatiui, & Verbi conuenientia.

Persona, & numero uerbo sic rectus adhæret.

Sensus est: Verbo personali finito nominatiuus pręfigitur, eiusdem numeri & personæ: ut,

Fœlicitas multos habet amicos.

Otia, dant uitia.

Submonitio.

Hic nominatiuus quem suppositum uocāt, est Nomen quodcunque substātiuum, aut Pronomen primitiuum Ego, Tu, Ille, Ipse, Hic, & Is. Verbum autem (quod appositum dicunt) est

verbum

verbum quodcunque personale modi finit.
Personale dico, quia in personalia obliquos habent ante se: Et infinitiuus, accusatiuum ut casum proprium.
Sed de quadruplici conuenientia hactenus: Quę autem hic desiderari uidentur, inter figuras sunt requirenda.

De exigentia.

Exigentia, est partium orationis uis quædam, qua in certo casu alia aliam sibi adiungi postulat. Et ea est duplex: Anterior, quæ uerbo tãtum conuenit: Solum enim uerbum regit ab anteriore.
Posterior, quæ ad omnes partes orationis pertinet, una tantum coniunctione excepta: Nam omnes regunt à posteriore præter coniunctionem.

De nominis exigentia.

Nomen exigit quatuor casus a posteriore: Genitiuum, datiuum, accusatiuum, & ablatiuum: Genitiuum regunt substantiua & adiectiua.

Substantiuum Nomen in Genitiuum.
In patrio fixum fixo iungetur, ad unum
Ni duo pertineant, aut hac nisi copula iungat
Propria si iungas, communia dissimulabis.

Sen-

Sensus est: Substantiuum substantiuo iungitur in genitiuo, nulla accedente copula, ut,

Clunes Leporis,
Hemina uini,
Mali principij, malus finis;
Omnium rerum uicissitudo.

Neutrum adiectiui, quod adiectiuum substantiuatum uocant, hac ratione genitiuo iungitur, ut, Quantum quisque sua nummorum seruat in arca, Tantum habet & fidei.

Submonitio.

Quæ regula locum non habet, ubi duo substātiua ad idem pertinere conspiciuntur, ut, urbs Roma, Tyberis fluuius:
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Quod fit per appositionē, de qua inter figuras: Aut cum intercedit coniunctio, quæ similes casus connectere solet, ut,

Vir, & vxor.
Præceptor, & discipuli.

Nox, & amor, uinumq́; nihil moderabile suadent. Vel si proprium nomen pręcedit alterū, non enim genitiuum regit, nisi per subauditionem appellatiui, ut, Maria Iacobi, scilicet uxor, Aeneas Anchisæ, filius scilicet, quod ad imitationem Græcorum dicitur.

Adie-

Adiectiua partitiua in Genitiuum.
Pluralem patrium, quæ partitiua requirunt;
Sic ut in his generis concordia reperiatur.

Sensus est: Adiectiua Partitiua genitiuũ pluralem postulant, uel collectiui nominis singularem, at hac lege, ut accedat generis consensus: Non enim rectè dicas, una fratrum, aut Vnus sororum: Sed, unus fratrum, & Vna sororum, id est, una ex sororibus, uel una inter sorores.

Declaratur enim genitiuus per accusatiuum, cum inter, uel, per ablatiuum cum de, uel ex, Partitiua autem sunt uniuersalia & affirmatiua & negatiua, ut,

Cuncti hominum:

Nullus mortalium omnibus horis sapit.

Indefinita, ut, Quicunque meorum porca excesserit. &

Distributa, ut, Singula horum per se sunt consideranda.

Particularia, ut, An quisquam mortalium est æquè miser, ac ego?

Interrogatiua, ut, Ecquis hominum hodie uiuit me fortunatior?

Nume-

Numeralia Cardinalia, ut, Vnus uestrum me traditurus est.

Ordinalia: Primus, secundus, tertius Regum Gallorum.

Partitiuè etiam usurpantur gradus comparationis, de quibus suo loco, ut de Pronominibus, & aduerbijs.

Submonitio.

In collectiuis genitiuus non conuenit cū adiectiuo, ut, Danaum fortissime gentis, Tidyde.

Et in heteroclitis, ut, Infimum cęlorum Lunam continet.

Item ubi Adiectiuum respicit præcedens substantiuum, ut, Villosissimus animalium est Lepus.

Adiectiua verbalia.

Quod notat actiuè verbale petit genitiuum.
Quem quoque participans nomen si fiat, habebit.

Sensus est: Genitiuos adsciscunt uerbalia quædam adiectiua significationis actiuæ, & participia etiam cum in nomina degenerant, ut quę Ax finiunt, ans, ens, tus, sus, & ius.

Ax, Ouidius. Tempus edax rerum, Bonarum literarum ferax seculum nostrum,

Ans, ens, fugitans Litium.

Aur i,

Auri, uel pecunię sitiens.

Salustius, Catilina patiens inædię, algoris, uigilię.

Tus vel Sus.

Victus, uel lapsus animi.

Ius Deuius ęqui.

Fama est tam ficti, prauique tenax, quam nuntia ueri.

Submonitio.

Actiuè hic significare dicimus uerbalia, non quod a uerbis actiuis originem habeant, sed quia actiuè declarantur, ut, Consultus, qui alijs rectè consulit: &, Scitus, qui scit. Nam si passiuè significarent, nunquam haberent genitiuum huius regulæ: Quem nec etiam uerbalia omnia, quę actiuè significant habere possũt, sed ea tãtum quæ apud authores probatos cũ genitiuo reperiuntur. Nemo enim uel bibens uini, uel percussus patris unquam legit.

Scientia, & inscitia Adiectiua.

Doctus, & indoctus patrio, similesq; pręibunt.
Incertus uitæ, uoti reus, immemor æui.

Sensus est: Feruntur in genitiuum Scientiæ, & Inscitiæ adiectiua, ut Rerum prudens, Doctus pilæ.

Agri-

Agricolam laudat iuris, legumque peritus
Sic inſcius æui. Grecarum literarum rudis
Securus animi, ignarus rerum, ignaruſque ſalutis.
Certus,& incertus: Memor uel immemor beneficij accepti.
Reus uoti.

Deſiderium, curam, & metum ſignificantia.
Quod Deſiderium, Curā notat, atque Timorem;
Et quod contra etiam genitiuis addere debes.

Senſus eſt: Adiectiua, quę deſiderium, curam, metum & contra, ſignificant, genitiuis apponi gaudent, ut, Studioſus uirtutis.

Ouidius: Cupidus ſtudiorum quiſque ſuorum.
Plinius: Natura hominum nouitatis auida.
Sic, Anxius glorię. Curioſus medicinæ. Timidus procellę, apud Horatium.
Trepidi rerum ſuarū. Impauidus ſomni.
Securus annorum gnatæ.

Adiectiuum in genitiuum, uel datiuum.
Propinquitatis, & Similitudinis adiectiua.
Proprius, & ſimilis uel quæ contraria ſignant;
Aut patrium, aut ternum, citra diſcrimen habebunt.

Senſus

Senſus eſt: Quæ propinquitatem, Similitudinem, aut contra ſignificant genitiuum, uel datiuum indifferenter exigunt, ut,

Affinis ſenectutis, uel, ſenectuti:

Propria Romani populi, uel, Romano populo fuit libertas.

Finitimus fluuij, uel, fluuio.

Conterminus fontis, uel, fonti.

Sic, Similis tui, uel, tibi ætate.

Conformis imaginis, uel, imagini.

Contrarietatis nomina ſunt.

Alienus locus conſilij, uel, conſilio.

Aduerſus gratię homo.

Eorum quatuor diſſimile.

Non abſimilis Tyberio.

Submonitio.

Dicimus & Commune mihi eſt tecũm, & Cõmune inter nos. Alienus eſt a noſtrà familia. Alienus dignitate, & ingenio. Item diſſimiles ſunt inter ſe, & pares ſunt in amore.

Adiectiuum in genitiuum & ablatiuum.

Copia, & egeſtatis.

Copia ut in patrium, aut ſextum, ſic tranſit egeſtas

Multa magis patrio gaudent, ut multa Latino.

Senſus

So... ſt: Copiam, aut egeſtatem connotantia, genitiuo, uel ablatiuo ſine diſcrimine connectuntur, ut,

Plenus rimarum, uel, plenus rimis.
Abundans uerborum, uel, abundans uerbis.
Diues opum, Ver. Diues agris, Ouid.
Sic pauper prædiorum, uel, prædijs.
Indignus opis, uel ope
Immunis ſcelerum, uel, ſceleribus.
Inops uerborum. Ouidius,
Sanguinis, atque animi corpus inane fuit.

Submonitio.

Obſeruandum eſt diligenter, quę, cum quibus caſibus frequentius conſtruantur: Nam alijs alius caſus familiarior accedit, ut,

Prodigus ęris, &, Largus opum.

Contra: Prę ditus animo, ingenio, opibus.

Attributa.

Per patrium, aut ſextum laudem, uitiumq́ notabis.
Sæpe aliter Naſo, natum de more loquetur.

Senſus eſt; Quod laudi aut uituperio datur alicui, modo per genitiuum, modo per ablatiuum efferimus, ut, Mulier perfrictæ frontis, uel, perfricta fronte.

Vir

Vir insignis nasi,& vir insigni naso.

Submonitio.

Dicimus & vir insignis naso, & uir insignis nasum, idque per Synecdochen,de qua suo loco: Quæ figura Poetis familiaris, Oratoribus est odiosa.

Nomen in datiuum.

Datiuum regunt substantiua,& adiectiua.

Substantiuum nomen in datiuum.

Substantiua regunt, Sum, uerbo adiuncta datiuum.

Sensus est: Substantiuo nomini subiungitur datiuus intercedente uerbo Sum,es,est,ut, Sit erranti medicina confessio.

Nulli bona hora est,quin alicui sit mala.

Ludite securi, quibus est æs semper in arca.

Submonitio.

In quibus exemplis verbum Sum,es,est,exponitur per habeo,mutando datiuum in nominatiuum,& nominatiuum uerbi substantiui in accusatiuum, ut est mihi namque domi pater, id est,habeo patrem domi,&,An nescis longas Regibus esse manus?id est, quod Reges longas manus habeant?

Adiectiuum in datiuum.

Gratus,& infensus,damnosus, & utilis, atque

Commodus, atque habilis ternum; ut memorandus habebunt.

Sensus est, Quæ gratitudinem, odium, utilitatem, damnum, aut aptitudinem significant. Item in bilis, & in dus passiuæ affectionis uerbalia datiuum similiter adsciscunt, ut,

Cicada cicadæ chara, Formica formicę.

Sic dices, Est mihi amicus, Est mihi intimus, Charus, iucundus, necessarius, gratus, & familiaris.

Est mihi infestus, infensus, odiosus, aduersus, Inuisus, contrarius, inimicus.

Vtilis, salubris, salutaris, & salutifera concordia ciuitati. Cicero.

Hominum generi uniuerso cultura agrorum est salutaris.

Verecundia inutilis uiro egenti.

Aptus, idoneus, conueniens, accommodus, congruẽs, appositus, & rei alicui accõmodatus.

Item in Bilis. Ouidius,

Sisq; miser semper, nec sis miserabilis vlli,
Id est, Nemo tui misericordia moueatur.

Et in dus passiuè affectionis, Idem.

O mihi post nullos unquam memorande sodales, Id est, Dignus memoria.

Sub-

Submonitio.

Quędam genitiuum habent, ut quę substantiue magis usurpentur, Amicus uirtutis, & Socius fortunarum.

Quędam accusatiuum cum pręposition,ut, Inutilis ad rem tuendam.

Idoneus ei rei,& ad eam,dicimus.

Item, Aptus armis,& ad arma, dicimus.

Opus.

Ternum optat, cum substat opus quartum, atq; latinnm.

Mobile si fuerit fixis iungetur, ut usus.

Sensus est, Opus indeclinabile nomen,substantiue nonnunquā ponitur, adiectiue etiam aliquando.

Quando est substantiuum, datiuum personę fere semper habet, sed cum datiuo accusatiuum rarissimeq;, ablatiuum autem usitate magis. Cicero. Authoritate tua nobis opus est,& consilio. Plaut.

Puero opus est cibum.

Inuentum est tantum ablatiuo additum: Terent. Quid uerbis opus est? Sic, Opus est facto,Opus est exquisito.

Datiui loco accusatiuum recipit affixa prępositione ad, cum ablatiuo. Terentius, Nihil

iſtac opus eſt arte ad hanc rem quam paro.

Ablatiuus datiuo appoſitus recipit etiam præpoſitionem.

Cicero, Si qua in re opus ei fuerit, eum iuueris.

Quando uerò eſt adiectiuum, idem ſignificat quod neceſſarius, & ita ſubſtantiuis accommodari poteſt: ut, Dux nobis opus eſt: Non eſt opus bene ualentibus medicus.

Terentius, Alia quæ opus ſunt comparato, id eſt, neceſſaria.

In qua ſignificatione utimur & adiectiuo vſus, quod indeclinabile etiam uſurpatur:

Virgilius, Nunc viribus uſus.

Terentius, Non uſus facto eſt mihi.

Submonitio.

Opus, ſubſtantiuum, nonnunquam genitiuum adſciſcit, loco ablatiui: quod uix auſim imitari.

Apuleius, Mihi operæ illius opus eſt:

Neque enim dices: Opus eſt lectionis, ſed opus lectione.

Adiectiuum in accuſatiuum per Synecdochen.

Nuda genu dic, & cauos hirſuta capillos
Vix Oratori, permiſſa figura Poetæ.

Senſus eſt: Adiectiua poſtulant accuſatiuum

uum substantiuorum, quæ partem aliquam totius significent: ut Æthiops albus dentes: Puer decorus faciem: Nuda brachia, & lacertos.

Submonitio.

Quę dicendi phrasis, quo Poetis gratior est, Oratoribus odiosa magis: Nō enim diceret Cicero, Puer bonus indolem, aut: Puella pulchra faciem. Sed, Puer bonæ indolis, uel, bona indole: Et, Puella pulchræ faciei, aut, pulchra facie: De quo pauloante.

Nomen mensuræ.

Longa pedes octo, pedibus, uel quatuor hastæ.

Sensus est: Nomen mensuræ in accusatiuo adiectiuum sequitur: Plinius,
Muri ducentos pedes alti: Longum pedes ducentos.
Recipitur & ablatiuus mensuræ accusatiui loco: Plinius, Longum sesquipede, latum pede.
Reperitur & in genitiuo positum, sed minus vsitate: idq́ue fortasse per eclipsin: Columella, Decem pedum longum, & quinque latum.

Temporis spatium.

Mortuus Isocrates centum iam natus aristas.

Sensus est: Temporis spatium accusatiuo

ſequitur adiectiuum, Terentius,
Verum ſi ea uiuit, annos nata eſt ſexdecim,
Sic, Adam, & Eua nongentos annos nati, mortui creduntur.

Adiectiuum & ablatiuum.

Inſtrumenta uolunt in ſexto, ut cauſa reponi.

Senſus eſt, Quæ cauſam, inſtrumentum, aut circumſtantiam aliquam totius ſignificant, ablatiuo caſu efferri ſolent, ut, Laſſus cura, Feſſus curſu, Clarus ingenio, Æger pedibus, uel oculis.

Dignus, & Indignus.

Vix patrium Dignus, ſextum, ac Indignus habebunt.

Senſus eſt, Dignus, & indignus auferendi caſum magis efflagitant, ut, Dignus domino ſeruus, indigna homine dubitatio.

Submonitio.

Recipiunt, & genitiuum, ſed apud Poëtas frequentius, Virgilius, Magnorum haud unquam indignus auorum.
Et Dignus imperij apud Ciceronem.
Vſitatior tamen eſt ablatiui conſtructio.

Ablatiuus cum præpoſitione.

Ordinis, ut contra ſextum cum præpoſitura.

Senſus

Sensus est: Quæ ordinis numeralia uocantur, & diuersitatis nomina quædam ablatiuum adsciscunt, sed cum præpositione a, uel ab, ut, Primus, uel, Secundus à Rege.

A te totus diuersus, Virgilius,
Quantum mutatus ab illo Hectore,
Integer à uitijs, Castus à Venereis.
Oriundus ab Vlysse, Generosus ex crumena.

Graduum comparationis exigentia, positiui.

Syntaxin positiuus habet pro significato.

Sensus est, Positiui gradus eadem est cum significatione constructio. Cum enim est adiectiuum partitiuum (sunt autem omnia adiectiua) genitiuum pluralem postulat, uel collectiui nominis singularem, ut, Plinius, Canum degeneres, caudam sub aluum reflectunt.

Si sit Scientię, aut inscitię adiectiuum, habebit itidem genitiuum, sed utriusq; numeri, ut Peritus musices, Ignarus bonarum artium.

Si sit adiectiuum ad utilitatem pertinens. Datiuum habebit, ut, Vtilis omnibus. Sibi inutilis. Et sic de cęteris.

Comparatiui, & superlatiui Exigentia.

Eiusdem generis quando collatio fiet.

Inter res geminas, medius gradus in genitiuum.
Inter res plures robur supremus habebit.
Diuersi generis sed si collatio fiat.
Trade gradum medium sexto, sine præpositura.

Sensus est, Cum inter res generis eiusdem, ab uno, ad unum fit comparatio: utimur comparatiuo: ad plures superlatiuo cum genitiuo multitudinis, ut, Manuum fortior est dextra: nam duæ tantum sunt manus. Digitorum longissimus est medius: plures enim sunt quàm duo digiti.
Sic, Sum maior frâtrum, si duo tantum sint fratres: Sum maximus fratrum, si plures duobus.
Vbi vero ab uno ad vnum, uel ad plures generis diuersi fieret comparatio, comparatiuus locum haberet cum ablatiuo utriusque numeri sine prępositione, ut equus est uelocior asinis.
Achilles erat fortior Troianis,
Nam neque equus est de natura asinorum, neque Achilles erat Troianus.

Submonitio.
Esse eiusdem generis, aut naturę grammatici interpretantur rem excellentem contineri in ca-

casu comparatiui,aut superlatiui, ut rectè dicas Hector fuit fortissimus Troianorum, quia Troianus.
Pedum velocior est dexter,quia pes.

Casus omnibus gradibus communes.

Quos positiuus habet casus gradus optat, vterque.

Sensus est, Comparatiuus, & superlatiuus etiam casum positiui sæpius admittunt, ut, Clarus, Clarior, & Clarissimus genere. Similis, Similior, vel, Simillimus patris, aut patri. Quintilianus, Natura tenacissimi sumus, eorum quæ rudibus annis percepimus.

Particula gradibus debita.

Perdoctus, quanto melior facile optimus inquis
At longe, & multo, medio dabis, atque supremo.

Sensus est: Positiuo gradui iunguntur particulæ sequentes, Valde,per,oppido,sanè, adprimè,comprimis: Et huiusmodi auxeseos uoculæ, ut haud medioctiter doctus: Mihi unicè familiaris.
Non vulgariter eruditus,& cętera.
Aduerbia verò quę o,finiunt, magis comparatiuo damus,ut, Quo, eo, tanto, quanto, paulo,

paulo, minimo. Salustius, Itaque quominus gloriam petebat, eo magis illam assequebatur. Cic. Quòd quid difficilius, hoc præclarius.

Multo tamen, & longè uenuste, comparatiuo, sed uenustius superlatiuo iunguntur. Longè, uel multo modestior, Longè, uel multo modestissimus.

At, facile, superlatiuo iunctum tantummodo reperimus, Cicero, Virum unum totius Græciæ facile doctissimum.

Quam, Particula.

Vocula, Quam, faciet, par vt sit casus uterque. Qua gradibus medijs, ut pro referensq; ministrat.

Sensus est, Quam, particula sequens comparatiuum, impedit quominus assueta constructio seruetur. Nam tunc casus comparatiuo proximus est præcedentis similis. Ouidius. Intolerabilius nihil est, quàm fœmina diues.

Sic, sum iunior quam tu, uel, reiecta quam particula, dices; Sum iunior te.

Submonitio.

Ornatum haud mediocrem addit particula, quam, cũ relatiuo Qui, quæ, quod, uel vt, aut, pro, comparatiuo subiungit. Exempli gratia.

Hic

Hic est iunior, quam cui tantum oneris imponatur: Hoc apertius est, quam ut interpretationem indigeat. Maiorem gerit uestem, quàm pro cörporis habitu.

Et hęc de nomine sufficiant.

De Pronominis exigentia.

Pronomen duos casus exigit, genitiuum, & datiuum.

Genitiuum exigünt Substantiua, & adiectiua.

Pronomen in Genitiuum.

Neutrum adiectiui, patrium sibi poscit vbique.

Sensus est, Tum uenustè Pronomini genitiuus additur, cum genere neutro substantiuè fertur, ut, Aliquid mali, propter vicinum malum.

Quid istud est negotij?

Si Libri copia fuisset id temporis.

Adiectiuum Partitiuum.

Partitiua petunt pluralem, sed genitiuum.

Sensus est, Pluralem genitiuum adsciscit.

Pronomen si partitiuè ponatur, ut,

Laudamus quidem iuuenum eos, qui sunt verecundi. Sic dices.

Hæc uolucrum, illa sororum.

Pronomen in datiuum, uel ablatiuum.

Att ternum dat idē, aut sextum cum præpositura.

Sen-

Senſus eſt, Vnum eſt pronomen idem, quod datiuum, uel ablatiuum recipit áddita præpoſitione cum: ut, Horatius:

Inſania non omnibus eſt eadem:

Inuitum qui ſeruat, idem facit eccidenti:

Dicimus, & eandem habet uim cum præcedentibus: Eundem ſenſum habet cũ primo, quod uſitatius eſt.

Supplementa te docebunt, quæ hic deſiderari uidebuntur.

De exigentia verbi.

Verbum Perſonale regit ab anteriore, & à poſteriore, ut prædictum eſt:

Ab anteriore, regit Nominatiuum.

A poſteriore Nominatiuum, genitiuum, datiuum, accuſatiuum, & ablatiuum.

Verbum in nominatiuum ab anteriore.

Perſonale modi finiti a fronte requirit.

Expreſſum rectum, qui pulchrè aliquando tacetur.

Senſus eſt: Verbo perſonali finito nominatiuus præfigitur eiuſdem numeri, & perſonæ: vt,

Ego de allijs loquor: Tu de cępis reſpondes. Serò ſapiunt Phryges.

Sub-

Submonitio.

In uerbis primæ, uel secundę personæ nominatiuus fere dissimulatur: ut, Spero, dum spiro: Cura esse quod audis.
Non omnia possumus omnes.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Videtur, & subiceri tertia persona in uerbis, quæ uocamus actionis exemptæ, vel exceptæ actionis, quod eorũ actio soli Deo, aut naturæ sit reseruata, ut, Pluit, scilicet, Deus, aut natura: Sic, Ningit, vesperascit, diescit, &c.

Et in his quæ secundum intellectum, uel per Eclipsin dicuntur, ut, Ferunt, dicunt, aiunt, perhibent, prędicant. Homines subaudi.

Aliquid nominatiui loco positum.

Multa loco recti Verbo præposita videmus.

Sensus est: Infinitiuus solus plerumque nominatiui partes agit: ut, Velle suum cuique est. Infinitiuus item cum accusatiuo ab anteriori: ut, Cicero: Est acerbum parentum scelera filiorum pœnis lui.

Et cum casu a posteriore:
Seni uerba dare difficile est.

Finitum uerbum etiam cum nominatiuo, & particula quod: ut, Bene vertat quod aggrederis.

Aduer-

Aduerbium prçterea genitiuo additum. Satis testium est à me datum.

Verbum in nominatiuum à posteriore.
Sum petit à tergò rectum, seu uerba vocandi.
Et uerbum quodcunque uicem si supplet eorum.

Sensus est, Substantiuo uerbo, Verbo uocatiuo, hisque quç eorum uim habent, nominãdi casus affigitur, ut, Senectus ipsa est morbus.
Homo bulla est.
Vsus est altera natura.
Sic vocor, nominor, appellor Ioannes, Themistocles cum Lyram recusaret, habitus est in doctior. Nemo nascitur artifex.
Si peccaui insciens feci.
Scribo sedens, Bibit ieiunus, & cçtera.

Verbum in genitiuum.
Sum patrio gaudet, possessio si qua notetur;
Non tamen ars nostri, sed nostra efferre iuberis.

Sensus est, Sum genitiuum adsciscit cum possessionem significat, ut,
Cuium pecus? An Mœlibçi?
Cicero, Doctorum ista est consuetudo.
Sic, Hçc imago est Christi crucifixi.

Sub-

Submonitio.

Non tamen dices, Hic liber eſt mei, Sed, meus, hęc conſuetudo non eſt tui, ſed, tua. Quia quinque Genitiui pronominum non ſignificāt poſſeſſiue, ſed paſſiue, De quibus inter ſupplementa.

Miſereor, Miſereſco, & Satago.

Cum Satagit patrium quærunt miſereſco, miſertus.

Senſus eſt: inter perſonalia uerba tria ſunt potiſſimum quę genitiuum habent. Miſereor deponens, miſereſco neutrum eiuſdem ſignificationis, & Satago. Virg. Nil noſtri miſerere, idem Arcadij miſereſcite Regis. Terentius,

Pulchre ſatagit rerum ſuarum.

Inuenitur miſereor iunctum datiuo apud Ciceronem: Perge aude natę illachryma, patris peſtibus miſerere. Quod notandum potius quàm imitandum cenſeo.

Aeſtimandi Verba.

Dic nihil facio, flocci iſthac pendo, uel huius.
Ducere pro nihilo, & magno æſtimare videbis:

Senſus eſt, Æſtimandi uerbis genitiuum etiam addimus, non quemlibet, ſed hos pręcipue,

pue, Tanti, Quanti, Pluris, Plurimi, Nauci, Flocci, Nihili, Parui, & huius, ut,
Plaut. Pluris est testis oculatus unus, quàm auriti decem.
Tanti hodie habeberis, quantum habebis.
Latinam munditiem sapit.
Æqui, boniq́ue facio.
Et sine uinculo. Æqui boni facio, quod est, in bonam partem interpretari, ut, Apud Plautum: Æqui, boniq́ue consulere.

Submonitio.

Huiusmodi genitiuus mutatur in ablatiuū aliquando præfixá præpositione: Cicero, Contemnunt, & pro nihilo ducunt.
Idem: Omnis uoluptas præterita, pro nihilo est habenda.
Et sine prępositione: Seneca,
Data magno æstimas, accepta paruo.

Verbum in genitiuum, uel accusatiuum.

Verba recordandi patrium, quartumq́; requirunt.

Sensus est: Recordandi uerbis & obliuiscendi, peculiaris est genitiuus, qui in accusatiuum etiam aliquando uertitur.
Veteris iniuriæ, uel ueterem iniuriam reminisci non decet Christianum hominem.

Terent.

Terentius, Faciam ut huius diei, meiq. meminneris. Rem suam quisque meminit.
Nouos parās amicos, ne obliuiscere ueterum.
Cicero, Artificium obliuiscatur, & studium suum deponat.

Submonitio.

Memini autem pro eo quod est mentionē facio recusat accusatiuum, postulatque genitiuum, uel ablatiuū cum præpositione de, Quintilianus, Neq. omnino huius rei meminit Poeta. Idem, De quibus multi meminerunt, id est mentionem fecerunt.

Verbum in genitiuum, uel ablatiuum.

Criminis in patrio nomen, sextove repones:
Pauca quidem in sexto, si uis cum præpositura.

Sensus est, Quæ ad accusationem, crimen, aut absolutionem pertinent, in genitiuum, aut ablatiuum feruntur, sed tum maximè incidit usus ablatiui, cum nomen non est criminis proprium, ut,
Accuso te solœcismi, uel solœcismo.
Accersam, Sugillabo, Deferam, Notabo.
Traduco, Insimulabo te probri, uel probro.
Tenetur, Alligatur, Astringitur, Reuincitur, periurij, uel periurio.

Cicero, Qui alterum criminationis accuſat
Probus Æmilius, accuſatus hoc crimine.
Cicero, Etiam ſceleris condemnat generum ſuum.
Idem, Quare ſi iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine.
Plinius, In uenimus Egnati vxorem cum vinũ bibiſſet, è dolio interfectam fuiſſe à marito, eumque cędis à Romulo abſolutum.
Liuius, Latæ deinde leges, quæ Conſulem regni ſuſpicione abſoluerent.

Submonitio.

Cicero ſæpius addit crimen ablatiuo, ſed cum prępoſitione. Quinto Hortenſio prętore de pecunijs repetundis damnato.
Licinium Lenticulam de alea condemnato.

Sunt, & nomina certa, quæ poſt huiuſmodi uerba in ablatiuo tantum reponuntur, nonnunquam addita præpoſitione, Vterque, Neuter, Nullus, Alter, Alius, & Ambo, vt,
Accuſas hunc homicidij, an parricidij, an vtroque, uel ambobus?
Item accuſas eum furti, an ſacrilegij, an de omnibus, uel de nullo?

Neque deſunt qui dicant criminis nomẽ in ablatiuo tantum reponendum eſſe. Et ſi quod

in genitiuo repositum inueniatur, ab ablatiuo, Crimine, Scelere, Flagitio, aut huiusmodi pendere, ut cum dico.
Accuso te furti, Insimulo te adulterij.
Delatus est maiestatis, crimine scilicet, uel, flagitio, aut scelere.

Abundantiæ aut vacuitatis.

Cum patrium, aut sextum complendi uerba requirunt.
Hac patrio, hac sexto magis arridere videmus

Sensus est, Abundantię, & uacuitatis uerbum, genitiuum, vel ablatiuum desiderat, ut, Implentur veteris bacchij, pinguisque ferinę. Cicero, Is uomens, frustis esculentis totum tribunal impleuit.
Plaut. Erroris, & dementię ego illos complebo.
Virgilius, Vterumque armato milite complét.
Sic, Egere consilij, dicit Cicero ad Atticum.
Et Plinius, Hoc non eget interpretatione.
Idem Terent. Quasi tu huius indigeas patris
Et Cicero, Nunc te cohortatione non puto indigere.

Submonitio.

Sunt quædam quæ uix genitiuum recipiũt, ut, Abundo, affluo, repleo, uaco, Cicero, Véter

caret auribus. Licet apud Terentium legatur. Præter quam quod tui carendum erat. Nam cum ablatiuo reperitur usitatius. Morte carent animæ.

Quę ad animi perturbationem pertinent.

Discrutior mentis, uel mente uenustius inquis.

Sensus est, Genitiuum, uel ablatiuum recipiunt, quæ curam, aut animi perturbationem significant, ut, Angere se animi, uel animo, Desipere mentis, uel mente.
Pendere animi, uel animo.
Animi sese angebat, dicit Terentius.
Et Cicero, Angor animo.

Verbum in datiuum.

Sum petit appositum, cum signat habere datiuum.

Sensus est, Est habendi significatione datiuum subijcimus. Lucanus,
Nulla fides, pietasque uiris, qui castra sequuntur.
Cicero, Egens est si non satis habet ęris, cui nihil satis potest esse. Virgilius,
Est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca. Quod uerbũ, per habeo solet interpretar

Per-

Persius, Noris quam sit tibi curta supellex. Id est, quam curtam habeas supellectilem.

Auxilij Verba;

Tertius auxilij uerbis, Iuuo quartus adhaeret,
Consulo tam uariat regimen, quàm significatũ.

Sensus est; Verbis auxilij peculiaris est datiuus, ut, Initijs mederi praestat, quam fini. Vide, si qua in re tibi commodare possim.

Sic dicimus, Auxiliari, prodesse, opitulari, subuenire, succurrere, adminiculari, & patrocinari alicui. Item per circuitionem Suppetias uenire, proficisci, & occurrere alicui. Adiumentum dare, uel, Auxilium ferre indigenti. Opem ferre, adferre, tendere, uel porrigere imploranti.

Submonitio.

Iuuo datiuum habet apud antiquiores scriptores, accusatiuum uerò apud recentiores, ut Compositum eius adiuuo: Dij facientes adiuuant, dicimus. Item, Confert huic rei, & ad hanc rem. Conducit agricolę, & conducit ad uictum.

Consule doctos, id est, a doctis pete consilium.
Consule indoctis, id est, da indoctis consilium.

Consule tuis rebus,id est,Prouide.
Variè etiam dicimus:Hoc est ex re tua, in re tua,& in rem tuam pro eodem,idest, tibi utilitati.

Nocendi,irascendi,& maledicendi.

Irascor,noceo,maledico,adiunge datiuo,
Inuideo tibi fortunas,& dixeris apte.

Sensus est: Quæ nocendi,irascendi,& male dicendi significationem habent,datiuum similiter adsciscunt,ut,Nocere,Obesse,incommodare,uel officere alicui.
Salustius,Gloriæ cupiditas multis obfuit.
Metus officit memoriæ.

Et per circuitionem.

Insidias facere, Insidias struere, Apponere, Collocare, vel Tendere, hostibus,id est, Insidiari: sæpius apud Ciceronem, & Cæsarem: Irasci,Subirasci,Succensere,& indignari alicui: Ouid.Irascor uotis heu leuis ipsa meis.
Maledicere,Obtrectare,Obloqui,Obstrepere, vel maleloqui. Terentius.
Pergam hero absenti maledicere.
Notam alicui apponere, uel inurere, est infamia asp ergere.

Submonitio.

Dicimus tamen: Detrahere alicui:

Detrahere de aliquo, aut de illius fama, id est, maledicere.
Inuidere alicui, & inuidere illi fortunas, Latinè etiam dicimus.

Verbum obsequij.

Obsequij verbis debes aptare datiuum.
Audio, & Ausculto uariant pro significato.

Sensus est, Obsequij, & adulandi uerbis additur etiam datiuus,
Parere, Obedire, Obsequi, Obsecundare, Morem gerere, Morigerari, Obtemperare alicui,
Adulari, Palpari, Lenocinari, Supparasitari, & applaudere alicui.
Duobus Dominis seruire difficile.
Pecuniæ obediunt omnia.
Nemo bene imperat, nisi qui paruerit imperio.
Plautus, Obseruatote, quam blandè mulierī palpabitur.

Submonitio.

Ausculto tibi, idest, obedio.
Ausculto te, id est, audio.
Audio tibi, nunquam legimus, sed, Audiens dicto. Quod & Obediens dicto dicit Plinius, id est, preceptis obsequens.

Verba assensus.

Assensus uerbis ternum donare memento.

Nec fugit accedo Consentio pręposituram.

Sensus est: Verbis assensus datiuum tribuimus, ut, Sus sui placet.

Asino asinus.

Concino tuæ sententiæ.

Sic, Fauere, Subscribere, Suffragari, Seruire, arridere, astipulari alicuius opinioni.

Item, Aspirare, & acquiescere, Adhęrere, & Annuere alicui.

Submonitio.

Mihi neutiquam cor consentit, dicit Cicero, & alibi: Cor illi consentit cum oculis, & uultus cum oratione, & in Lælio.

De cuius utilitate omnes uiro consentiunt.

Assentior tuis literis dicit Cicero, & alibi, Cætera Crasso assentior.

Accedere sententiæ alicuius dicimus cum Fabio, & cum Plauto.

Accedere ad illius sententiam.

Verbum Occursus, & Repugnantia.

Occurrens uerbum, ternum petit, atque repugnans.

Horum nonnullis, sed prępositura fauebit.

Sensus est: Datiuus occursus, & Repugnantię uerbis, sicut & assensus, annectitur, ut Persius.

Venienti

Venienti occurrite morbo.
Virgilius, Occursare capro, cornu ferit ille, caueto.
Dicimus & per circuitionem: Obuius tibi sum. Obuius tibi fio, & Obuium me tibi fero.
Item Obuiam ire, uel prȩire.
Obuiam procedere, & exire, uel egredi.
Obuiam proficisci, uel properare alicui.
Salustius, Tum primum superbiæ nobilitatis obuiam itum est.
Repugnantiæ uerba sunt: Obstare, resistere.
Iuuenal. Haud facile emergunt quorum uirtutibus obstat res angusta domi.
Necessitati, ne dij quidem resistunt.

Sic, Refragari, obstrepere, aduersari, reclamare, reluctari, & obsistere alicui.

Submonitio.

Simulatio repugnat amicitiȩ, dicit Cicero, & alibi, Repugnant hæc inter se.
Discordat parcus auaro.
Terentius autem, discordant inter se.
Luctari cum aliquo dicimus, &, Luctantur inter se, id est, omni cura adhibita confligunt.
Salustius, Statui cum Antonio quamprimum confligere.
Leges etiam inter se confligere dicimus, &,

Contra

Contra hostium conspirationem confligere.
De his rebus cautè confligendum.

Pugnare cum aliquo Latine dicimus: in hostem. Contra hostem, &, aduersus hostem.
Item. Hæc inter se pugnant.

Dicimus etiam. Contra æquitatem contendere.
Contendere cum aliquo de re aliqua.
Contendunt inter se uerbis, non pugnis.

Contingentia verba.

Vt proprium casum poscit Contingo datiuum.

Sensus est. Contingentiæ uerbis datiuus familiariter accedit, ut, Malis mala succedunt.
Ne quære mollia, ne tibi contingant dura.

Sic, Non omnibus usu uenit, uel, euenit.

Submonitio.

Hoc mihi accidit nec opinanti, Terentius,
In qua significatione dicimus. Accidit mihi.
Præter opinionem, &, Præter optatum.
Item, Accidit mihi illud gratum à te.

Studij Verba.

Sic uerbis studij debes aptare datiuum.
At Studeo uariat, sed propter significatum.

Sensus est, Datiui constructionem sortiuntur sibi studij, & diligentiæ adhibendæ uerba,

vt, Chartis inuigilare:
Lusibus indulgere,
Operam & studium alicui nauare.
Studijs insudare, &,
Indormire desidiæ.

Submonitio.

Studere, pro Operam dare. Datiuum habet & rei, & personę. Nouis rebus studere. Nemo, nisi perditus, Catilinæ studebat, id est, fauebat.

Accusatiuum habet pro Cupere, & summ o desiderio prosequi. Vnum omnes studetis, idest desideratis.

Et, cum præpositione In, in id solum studét Pictores, & Poetæ.

Incumbere, pro inniti, datiuum habet. Virg. Validis incumbite remis.
Pro rei alicui operam dare, accusatiuum recipit, sed cum præpositione in, uel ad. Incumbere in studia. Et incumbere ad studia. Conferre se ad studia dicit Suetonius, Plin. autem. Conferre tempus in aleam.

Confidentiæ uerba.

In dandi casum fidendi uerba feruntur,
Diffidō pariter, cui præpositura fauebit.

Sensus est. Confidentię uerbum datiuum postulat, ut,

Mulier

Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem.
Nemini fidas, nisi cum quo modicum salis consumpseris.
Cicero: Non grauarer, si mihi ipse confiderem.

Sic: Fidem alicui adiungere, uel habere, aut Fidei alicuius credere.

Submonitio.

Diffido diuersæ significationis, datiuum habet apud Ciceronem, & ablatiuum cum de, apud eundem: Ne uidear prudentię tuæ diffidere, & de nobis non diffidimus.

Parcendi Verba.

Iungere rite potes Parcendi uerba datiuo;
Cum circumloquimur, regimen seruatur ibidem.

Sensus est: Parcendi uerbis datiuus familiariter accedit, ut Virgilius,
Parcere subiectis, & debellare superbos.
Plautus, Ignoscat delictis tuis, atque adolescentiæ.

Submonitio.

Quædam refelluntur ad hanc regulam, sed per circuitionem: Supplicium condonare, &, Alicui remittere.
Noxam alicui mittere, uel remittere, id est, Parcere, ueniam, & impunitatem dare.

Pœnam

Pœnam alicui remittere, Delicti gratiam alicui facere.
Veniam dare, tribuere, uel concedere alicui pro eodem. Columella,
Dat ueniam coruis, uexat censura columbas.

Composita cum præpositionibus.

Præpositura facit uerbis seruire datiuum;
Vim tamen exercet nonnunquam præpositura.

Sensus est, Composita quędam cum prępositionibus ad, ante, cum, in, inter, ob, post, & præ, datiuum sæpius adsiscunt.
Ad Plinius.
Tota uita literis adsident.
Ante. Qui me antetulerit nobilitati
Cum, Cice. Malus ipse fies, si malis conuixeris.
In, Horat. Immoritur studijs, & amore senescit habendi. Inter.
Medijs interserit oscula uerbis.
Ob, Gellius, Obgannire alijs.
Post, Postponere famam pecuniæ.
Præ, Cicero, Ego meis præluxi maioribus.

Submonitio

Non desunt cum his prępositionibus cōposita, quę casum habeant præpositioni conuenientē
Ad amicitiam alicuius adrepere.
Consilia,

Consilia, & insidias alicuius anteuertere.
Consociare arma cum populo.
Pedes in ędem inferri.
Audacię alicuius aliquid interponere.
Quempiam longis epistolis obtundere.

Acquisitiuum Verbum.

Acquisitiuè positis adiunge datiuum.

Sensus est, Communis est adeo datiuus, qui acquisitiuè poni dicitur, ut nulli nō uerbo facile addatur, ut, Si quid habeo, mihi habeo, non tibi. Plaut. Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.

Veteres enim interpretantur datiuum, qui subijcitur uerbo in nostrum, uel commodum, uel incommodum. Et hoc est, quod uerbum dicitur acquisitiuè poni.

Datiuus Festiuitatis gratia.

Ternus ad ornatum nullo cogente locatur.

Sensus est, Additur & datiuus uerbis nulla necessitate, sed ueluti cuiusdam festiuitatis gratia, ut Terentius, Suo sibi hunc iugulo gladio.
Cicero, Is mihi gloriatur se omnes honores sine repulsa obtinuisse.
Quo dicendi colore Gallica lingua uulgo etiā utitur, ut, *Parle moy bien a luy.*

Sic

Sic *moy*, superfluum est neque necessarium.

Verbum in duos datiuos.

Sum, pro dat, geminos poteris donare datiuos.

Sensus est, Sum duobus datiuis aptatur pro dat, uel afficit, Plautus, Is est derisui, quaqua incedit, omnibus.

Sic dices, Hoc est mihi uoluptati, uel, oblectamento.

Hoc est mihi molestię, nocumento dedecori, Id est, Afficit me molestia, uel dedecore.

Submonitio.

Hic transcursim libet admonere, Latinè dici
Est mihi nomen Pantaleon.
Est mihi nomen Pantaleontis.
Est mihi nomen Pantaleonti.
Quæ ultima dicendi structura doctis magis arridet.

Verto, do, duco, & habeor.

Do, duco, verto, atque habeor geminato datiuum.

Sensus est, Vt datiuus unus, atq; alter uerbo Sum postponitur, sic & verbis Verto, do, duco, & habeor.

Quod alijs uitio vertis, ipse ne feceris.

Sic, Vertere stultitię, Probro dedecori. Contra,

Vertere

Vertere laudi, Vertere honori, Saluſt.
Et, Laudi ducere Terentius, id eſt ęſtimare.
Cicero, Vitio dare, id eſt, uituperare.
Et Plautus, dare crimini.
Terentius, Haberis omnibus ludibrio, uel riſui.

Sed de datiuo ſolitario hactenus.
Nunc ad ea uerba, quę ad abſoluendam ſententiam duos caſus exigunt datiuum ſcilicet, & accuſatiuum.

Verbum in datiuum & accuſatiuum.
Dandi & reddendi ternum, quartumq; requirunt.
Dono tibi uitam, uita te dono leguntur.

Senſus eſt, Datiuum cum accuſatiuo dandi, & reddendi uerba poſtulant, ut Plinius, Plura hic mihi præſtitit, quam parentes.
Virgilius, O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos.

Exhibere negotium, uel moleſtiam alicui dicit Plautus, quod Cicero, facere & faceſſere negotium. Saluſtius, Vbi ſocordiæ te, atque ignauię tradideris, ne cuiquam deos implores, irati, infeſtiq́ue ſunt.

Sic, Reddere, Rependere, Reponere, Reſignare, Retribuere, Reſtituere.

Submenſ-

Submonitio.

Do, uariat maximè, nunc enim habet accusatiuum personę, & datiuum rei, Plinius, Dolori se dare.

Nunc contra datiuum personæ, & accusatiuũ rei. Dare ansam alicui, Cicero, id est, occasionem præbere.

Duos accusatiuos recipit, sed alterum cum ad, uel in, dare corpus ad sepulturam, Cicero, Plautus, Dabo te in caueam.

Et cum accusatiuo, duos datiuos.

Dare aliquid alicui pignori, de quo pauloante.

Dono tibi honorem passim legitur.

Donauit eos ciuitate, apud Ciceronem.

Sic, Impartio, uel impartior tibi salutẽ cum Cicerone. &,

Impertio, uel impertior te salute dices cum Terentio.

Communicabo te mensa mea, dicit Plautus. Cicero autem, communicare inter se, de rebus suis.

Nuntiandi, & declarandi.

Narrandi uerbis cum quarto adiunge datiuum.
Mitto tibi, atque ad te, respondeo, scribo uidebis.

Sensus est: Nuntiandi uerbis & declarandi, cum datiuo accusatiuus additur: ut,
Indicere bellum alicui.
Indicere funus populo.
Diem dicere alicui, quod Cicero, diem dare alicui, hoc est, constituere, præfinire, & præstituere diem.
Sic, Nuntiare, renuntiare, reuelare, monstrare, interpretari, aperire, ostendere.

Submonitio.

Significare per literas, latinis frequens admodum, ut apud Plaut. Nuntiare per parasitum. Mittam tibi mea scripta rogas, dicit Cicero, & hũc librum ad te de senectute misimus. Sic remitto tibi, & remitto ad te.

Scribo, uel rescribo tibi, & ad te similiter dicimus.
Respondeo tibi, id est, satisfacio.
Liuius; Respondere ad nomina.
Cicero: Patefacere aures assentatoribus.
Terent. Patefacere fenestram ad nequitiam; id est, præbere occasionem.

Iubendi, & Committendi.

Cum terno quartum iubeo, ut committo requirit.

Sensus est: Quę iubendi, & committendi signifi-

gnificationem habent datiuum cum accusatiuo postulant, ut, Rogo ne contra rationem ætatis, tantum tibi labores iniungas, ait Plinius. Imperat heu uentis, tumidæ non imperat iræ. Ouid. Sic, Edicere, & præscribere aliquid alicui, illi credebat omnia sua consilia, Cice. id est, committebat.

Submonitio.

Horum custodibus iussit, ne mulierem interesse permitterent.

Accusatiuo iunxit Terentius: Pater me iussit. Ego me tuæ commendo, & committo fidei. Idem, Nunquam tam commodè dices, ut tergum meum tuam in fidem committam.

Prohibendi, & negandi uerba.

Quod negat aut prohibet, quartum petit atque datiuum.

Interdico tibi uinum, uinove repertum est.

Sensus est, Vt iubendi uerbis, ita & negandi, & prohibendi datiuus cum accusatiuo iungi solet, ut denegare alicui honorem, denegare naturæ, & necessitati omnia iocunda. Denegare depositum alicui.

Submonitio.

Vxorem prohibent mihi, dicit Plautus, ut datiuo iungat accusatiuum.

Ciues meos calamitate prohibete, Cicero: ut, ablatiuum addat accusatiuo.

Præpositione addit ablatiuo Salustius, Ab iniuria manum prohibere.

Plautus: Prohibete a uobis vim meam.

Arcere homines ab improbitate.

Curia, & sorte arcere, Liuius.

Aqua, & igni interdixit ei, qui in leges suas nō iurasset.

Liuius datiuo iunxit accusatiuum.

Fœminis dumtaxat usum purpurę interdicimus.

Excellentia Verba.

Ternum cum quarto, quæ excellunt uerba requirunt.

Sensus est: Excellentiæ uerbis datiuum cum accusatiuo tribuimus: ut, Lucrum præposui sopori, atque quieti.

Nemo est hoc tempore, qui moribus pecunias non anteponat. Non præferat.

Rebus alijs anteponam, quæ mandas mihi.

Submonitio.

Antecello uerbo, Cicero dedit ablatiuum: Vt quisque ætate antecellit, ita sententia principatum tenet.

Alibi, datiuo iunxit ablatiuum;

Qui

Qui eloquentia cæteris antecellit.
Anteeo, datiuum etiam recipit: Plautus. Virtus omnibus rebus anteit profectò.
Et accusatiuum cum ablatiuo apud Salust. Et cum omnes gloria anteiret, omnib. charus erat.

Comparandi Verba.

Postulat, & quartum quod comparat atque datiuum.
Pauca petunt quartum, aut sextum cum præpositura.

Sensus est: Datiuum cum accusatiuo recipiunt, quæ comparationem, aut æqualitatem connotant: ut, Paruis componere magna solebam, Virgilius.
Facta dictis sunt exequanda: id est, Respondere debent, Æquare nocti ludum.

Submonitio.

Comparo me tibi, dicit Cicero:
Comparo me ad te, Terentius:
Conferre nouissima primis: &,
Conferre gesta Romanorum cum Græcis, dicit Cicero.
Æquare tecta solo, id est, funditus euertere.
Cum vitijs fortunam æquare, id est, quantum rei, tantò uirus habere.

Promittendi verba.

Cum dandi casu, quartum Promitto requirit;
Ad se qui recipit, siue ex se, pollicitatur.

Sensus est, Promittendi uerbis datiui cum accusatiuo peculiaris est constructio, ut, Pollicitus sum illi operam meam.

Iam enim, quod tibi promiseram, prestiti, Cic. Spondere puellam adolescenti dicitur pater, Tulliolam C. Pisoni despondimus Cic.

Per circuitionem, promissa facere, uel, Fidem dare alicui.

Aureos montes pollicitari.

Submonitio.

Recipere huc pertinet, quod facienda suscipere, & cum obligatione promittere significat, Vt mihi coram recepisti, Cicero.

An non uerebamini, ne non id facerē quod recepissem semel? Terentius,

Obuium est etiam, recipere ad se, & ex se recipere, Terentius, Recipio ad me, faciet. Cicero, Ex me recipio fore eum tibi & uoluptati, & usui.

Arrogandi & ascribendi uerba.

Vendicat, & ternum cum quarto aptare solemus,

Sensus est; Datiui cum accusatiuo constructione gaudent, quę arrogandi, & ascribendi significationem habent, ut Cicero,

Ego tibi tantum tribuo, quantum mihi fortasse arrogo, id est, assumo, uendico, attribuo, uel postulo. Sic dices,

Qui modesti sunt, nihil sibi assumunt, Nihil ascribunt, postulant, sumunt uel attribuunt idem, Hoc nostris occupationibus ascribere debetis, id est, tribuere, uel attribuere.

Sic, Addicere, adferre, destinare, adiudicare quidam alicui,

Subiugandi uerba.

Ternum cum quarto, quod subiugat addere debes.

Sensus est, Subiugandi uerba datiuum cum accusatiuo postulant. Cicero, Subiecerunt se imperio, ac potestati Romanorum.

Sic, Hostes imperio, uel ditioni subijcere, subiugare, submittere, supponere, id est, deprimere, & in potestatem, ditionemque redigere. Iuuenalis: Et nos ergo manum ferulæ subduximus.

Submonitio.

Subiungere, pro subijcere prępositionem recipit. Cicero, Vrbes Achaiæ, Bœotiæq. multas

ſub imperium populi Romani,ditionemq́; ſubiunxit.

Deuouendi verba.

Conſecrare Ioui templum ſine crimine dices.

Senſus eſt: Datiuum cum accuſatiuo deſiderant, quæ deuouēdi ſignificationem habēt: Cic. Agamemnon deuouit Iphygeniā Dianæ. Sic, Deo quidpiam vouere, deſtinare, dicare, dedicare, conſecrare.

Item per circuitionem.

Votum Deo facere, Nuncupare, uel Suſcipere. Vota Deo reddere, ſoluere, exſoluere, & perſoluere.

Cætera uerba in datiuum & accuſatiuum.

Innumeris ternum cum quarto adiungere verbis.

Iure potes, quorum uix regula certa probatur.

Senſus eſt: Non deſunt & alia huius ordinis uerba, quæ uix in numerato dari poſſunt: vt, Suadere, Diſſuadere, uel Perſuadere quidpiam alicui.

Alicui gratias agere.

Illi gratiam, uel gratias habere: &

Ei gratiam, uel gratias referre.

Minari crucem alicui, Cicero.

Et mortem alicui minitari, Terentius.
Imponere legem alicui.
Imponere finem bello: &,
Onus alicui imponere.

Verbum in accusatiuum.

Quodlibet actiuum, quartum petit, ut patientem.
Nec uox actiuum reddit, sed significatum.

Sensus est: Adiectiuum uerbum cuiuscunq; generis, in accusatiuum fertur rei patientis: vt,
Assidua stilla saxum excauat.
Opus artificem probat.

Submonitio.

Non est quod opineris actiua tm̃ esse quæ o, finiunt, quorum extant passiua in or: ut, Percutio, percutior: uideo, uideor, sed neutra etiã transitiua, id est, quorum actio in rem tantum propriè transit, quæ loqui non potest: vt,
Aro, Bibo: Ouidius.
Non profecturis littora bobus aras. Idem,
Sæpe bibi succos, quamuis inuitus amaros.

Item deponentia, & communia etiam: in significatione actiua: ut, Stultus stulta loquitur. Virgilius,
Imprimis venerare Deos.
Et quibus vsus, uoces ademit: vt,

Ami-

Amici uitia noueris, non oderis.
Odi memorem compotorem.

Neutra Absoluta.

Neutra soluta nihil poscunt a posteriore.

Sensus est, Neutra ea quorum actio in id transire nequit, quod loqui non potest, absoluta dicuntur, quod nominatiuo anteriore contenta nullum casum habeant a posteriore, ut, Sto, Curro, Dormio, Iaceo.
Ouidius, Pauper ubique iacet.

Et deponentia etiam, quæ nullum exigunt casum in transitione, ut, Crapulor, Expergiscor, Reputor.

Quorum omnium naturam imitantur, & actiua etiam, cum citra casum posteriorem, suo significato satisfaciunt auditori, ut,
Quid agam? si quoque quæris, amo.
Terentius, Certè captus est, habet.

Accusatiuus Reciprocus.

Et pugnam pugnare leges, & uiuere uitam.

Sensus est, Neutra quantumuis absoluta non recusant accusatiuum cognati significationis, ut Cicero, Tertiam iam ætatem uixerat.
Sic, Endymionis somnum dormis,
Pirauftę gaudium gaudes.

Accu-

Accusatiuus per figuram.

Vim neutris actiua dabunt ut significatum.

Sensus est, Ex neutris quędam actiuorum significationem induunt, quorum constructione gaudent, ut, Ardere, uel deperire puellam, pro ardenter, & perditè eam amare. Virgilius, Nec uox hominem sonat, id est, repręsentat. Persius; Demorsos sapit ungues, Olet sulphur, Olet adustionem.

Sic tum simplicia neutra, pro compositis actiuis usurpantur, ut Ridere, pro deridere, Ludere, pro illudere, uel deludere.

Virgilius, Et spumas salis ęre ruebant, id est, proruebant.

Verbum in duos accusatiuos.

Induo, percontor, doceo, moneoq́; gemellos
Accusatiuos, ut uerbum celo, requirunt
Mutari quartum in sextum plerumque uidemus.

Sēsus est, Feruntur in duos accusatiuos, quæ Grammatici re transitiua nuncupant, cuiusmodi uestiendi, rogandi, informandi, & commonendi uerba.

Vestiendi: ut,
Induo, uestio, &
Exuo te uestem,

Cingo

Cingo te ensem, Martialis.
Induo te togam, Virgilius. &,
Inutile ferrum cingitur.

In aliquibus tamen accusatiuus personę mutatur in datiuum: vt,
Induo tibi uestem: &,
Cingo tibi ensem, Quintilianus.
Falsum sibi scientiæ persuasionem induerunt.
Ouid. Dumque latus sancti cingit tibi turba Senatus. In alijs accusatiuis rei in ablatiuum etiam vertitur: Vestio te veste: Exuo te chlamyde: Cingo te pugione.
Suetonius: Regem Philippum prælio fudit, castris exuit, & apud Gellium: Gladio Hispanico cinctus &c.

Rogandi.

Hoc unum te oro, obsecro, precor, efflagito, posco, reposco, rogo, postulo, exoro, & percontor.
Virgilius, Pacem te poscimus omnes.
Nisi quod alter accusatiuus mutatur sæpius in ablatiuum addita præpositione a, uel ab: ut flagitare, exorare, postulare, petere, exigere, rogare, obsecrare, percontari, poscere, precari, reposcere, efflagitare, & exorare quidpiam ab aliquo.
Cicero, Flagitat abs te filium.

Virg.

Virg. Veniam abs te poſcimus omnes.

Informandi uerba ſunt:

Doceo, edoceo, dedoceo, perdoceo, quæ duplici accuſatiuo iuncta ſæpius reperias:

Saluſt. Quem Minerua omnes artes perdocuit.

Ego docebo te illos mores.

Erudio te bonas literas, &

Erudio te bonis literis.

Inſtruo, inſtituo, & imbuo alterum accuſatiuum prorſus abijciunt: ſed loco illius ablatiuũ habent. Horatius, Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diu.

Habent duos accuſatiuos, quæ ad monitionem pertinent: ut.

Monere, commonere, uel admonere quẽpiam ſuum officium.

Cicero, Illud tamen te admonitum eſſe uolo.

Terentius, Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum, quod moneam probe.

Accuſatiuus rei mutatur aliquando in genitiuum, uel ablatiuum prępoſitione interiecta, Plinius,

Recitauit capita Legum.

Admonuit Senatuſconſultum.

Cicero, Putaui ea de re te eſſe admonendum.

Sic dicimus, Certiorem facere quempiam re-

rum domesticarum, uel, de rebus domesticis.

Celo non minime uariat, Dicimus enim, Celo te hanc rem, Celo tibi hanc rem, &, Celo te de hac re. Terentius.

Ea ne me celet, consuefeci filium.

Idem, Si hoc celetur patri, in metu sum.

Cic. Rufus noster de hoc me libro celauit.

Submonitio.

Inuenias & alia accusatiuo duplici iuncta.

Dedit filiam suam Pamphilo uxorem,

Sumpsit te testem, Sumpsit te iudicem.

In quibus dicendi formulis præpositio uidetur requiri, Dedit uxorem, pro in uxorem. Sumpsit te iudicem, uel testem, pro, in iudicé, uel in testem.

Verbum in accusatiuum, uel ablatiuum.

Spatium temporis.

Temporis in quarto spatium, sextove repones.

Per Quamdiu quærens; per Quando repone Latino.

Præpositura tamen passim subseruit utrique.

Sensus est, Dictio qua tempus rei gerendæ significatur, cuicunque uerbo succedit, idque in accusatiuo, si uelut ad Quamdiu respódeatur, quamuis ablatiuus hic locum habeat, ut

Cicero,

Cicero. Vigintiduos annos huic sacerdotio præfuit.
Qui ducit uxorem, uno mense fœlix est.
Licet frequentior, sit usus accusatiui.
At si uelut ad Quando, fiat responsio, Ablatiuus tantum locum habebit: ut,
Nemo omnibus horis sapit.
Plautus, Festo die si quid prodegeris, profesto egere licebit.

Submonitio.

Et accusatiuus, & ablatiuus nonnunquam recipiũt prępositionem, Cicero, Obsignata epistola quam de nocte daturus eram. Sic, Veni ad diem statutum, & ueni in ipso tempore.

Distantia uerbum.

Aut quarto, aut sexto, distantia rite cohaeret.

Sensus est; Interualli, aut spatij uerbum, accusatiuum, uel ablatiuum distantiæ sibi subijcit, ut Curtius: Aedificia non sunt admota muris, sed ferè spatium unius iugeris absunt. Liuius, Romana castra uiginti millium spatio aberant.
Sic, Oppidum hoc distat a tuo uiginti miliaria, uel, uiginti miliaribus.

Submonitio.

Genitiuus distantię recipitur aliquando, sed

ſed per eclipſim, Cicero, A quibus aberam bidui, ſpatium ſcilicet, uel ſpatio.

Neutrum, uel paſſiuum per Synecdochen.
Dic doleo, & frange dentem ſeu dente Latinis.
Formula Virgilio, nunquam Cicerone probata.

Senſus eſt, Abſoluta neutra, & paſſiua etiam accuſatiuum, uel ablatiuum regunt per Synecdochen, ut doleo caput, uel doleo capite, frangor brachium, uel frangor brachio.
Virg Nutat auribus, ac tremit artus.
Idem. Expleri mentem nequit.

Submonitio.

Quæ dicendi forma Poetis familiaris, Oratoribus ſummopere fugienda, Non enim dicet Orator, doleo caput, ſed caput mihi dolet. Nam quod dicit Cicero, Quis non dolet interitum talis, & ciuis, & viri. Et quod Saluſtius, Dolere caſum, uel dolere uicem alterius dicit ſæpius, Id fit per eclipſin prępoſitionis, propter.

Accuſatiuus cum ablatiuo ſine prapoſitione.

Onerandi, aut exonerandi verba.

Vt leno, ſic onero quarto dabis atque Latino.

Sen-

Senſus eſt: Quibus onerandi, aut exonerandi eſt ſignificatio, perſonę accuſatiuo,& rei ablatiuo iungi gaudent, ut, Onerare quempiam iniurijs, maledictis,dictis quibus meret, apud Terentium ſæpius,& Plautum. Cuius contrarium eſt: Exonero cōpoſitum, quod deonero, & onus amoueo,uel aufero ſignificat:Terētius. Amicos eius exonerastis metu. Cicero; Leua me igitur hoc onere;
Exoluere quempiam religione, apud Liuium.

Afficio & proſequor.

Proſequor afficio in quartum, ſextumq́ ferũtur.

Senſus eſt; Proſequor, & afficio, perſonæ accuſatiuo, & rei ablatiuo delectantur unice, ut laude,amore,uel odio,quempiam proſequi: Eſt eum Laudare,amare, uel odiſſe.

Afficere quempiam bonis nuntijs.
Afficere milites ſtipendio, eſt illis ſtipendia deferre.

Pœna,uel ſupplicio quempiam afficere, eſt eum punire. Quæ duo uerba nulli non affectioni ſubſeruiunt, ut exemplis apparet de his,quę abundantiam,aut uacuitatem ſignificant.
In Syntaxi genitiui uel ablatiui.

Verbum in accusatiuum, uel ablatiuum, cum præpositione.
Aufero uult quartum cum sexto, & præpositura.

Sensus est: Auferendi uerba postulant accusatiuum cum ablatiuo addita præpositione, ut, Tollere, Subtrahere, Abripere, & detrahere quempiam ab aliquo. Cicero,
Solem è mundo tollere uidentur, qui amicitiã è uita tollunt. Idem,
Qui abripiunt ab alijs, ut alijs largiantur.

Submonitio.

Ablatiuus in datiuum mutatur in aliquibus Adimere, uel subripere aliquid alicui, non ab aliquo.

Quibusdam placet uterque casus:
Auferre, Eripere, Extorquere, & Euertere quidpiam alicui, uel ab aliquo.

Verbum in ablatiuum sine præpositione.
Ablatiuus excessus.

In sexto excessum pones, sine præpositura
Non ingrata etiam constructio Comparatiuo.

Sensus est: Dictio post uerbum excessum significans, in ablatiuo reponi gaudet, ut, Supero te fortuna, Tu me dexteritate.

Tanto

Tanto ille superiores gloria uicerat.

Quæ constructio competit etiam comparatiuo, ut Digito lato sum te procerior.

Instrumentum.

Præpositura fugit sextum instrumenta notantem.

Cum telis uenio comitantia significatur.

Sensus est, Instrumentum in ablatiuo, nulla intercedente præpositione, uerbis quibuslibet adijcitur, ut, Ferrum ferro acuitur.

Vulpes annosa, haud laqueo capitur.

Horatius, Naturam expellas furca, tamen usq; recurret.

Submonitio.

Quædam præpositionem affixam patiũtur, quæ comitantiam non instrumentum significant.

Plautus, Cum machæra quid hic uult?

Cicero, Equites Romani qui præsidij causa cũ telis erant circum ædem concordiæ.

Ablatiuus formæ, uel modi.

Forma, modusq; uolunt sextum sine præpositura.

Nec minus obseruant etiam si aduerbia fiant.

Sensus est, Ad quæstionem per Quomodo nomen formæ, uel modi in ablatiuo reponi gau

det?ut, Si quæratur, Quomodo cantat? Respondebis, Submissa uoce; Stentorea uoce, *A uoix fort haulte*. Aetate prudentiores reddimur, Magister nomine, & Titulo, non re.

Afflictari, uel Laborare peste, Lepra, febri, Concordia fulciuntur opes, etiam exiguæ.

Submonitio.

Sic quędam quæ in aduerbia migrant, ut, Auspicato uxorem duxisti.
Meritò lachrymaris, immeritò uapulo.

Precium.

In sexto precium pones sine prapositura.
Quattuor in patrio, in sexto cum fixa coharent.

Sensus est: Ablatiuo casu precium efferri solet, ut Emere pręsenti pecunia, Quod Gręca fide comparare dicimus.
Dij laboribus omnia uendunt.
Omnem Ciceronis gloriam uitiosa nuce non emerim, non quassa nuce, Horatius.

Submonitio.

Excipiuntur Tantum, quantum, plus, & minus cum cōpositis, quæ in genitiuo reponi gaudent, ut Quanti emisti? Pluris, quam reuendi possit.
Iuuen. Magis illa iuuant quæ pluris emuntur.

Quę

Quæ adiectiua si substantiuum habeant, quo preciũ denotatur, in ablatiuo reponuntur. Aliorum more, pręter Tantidem quod ablatiuo caret. Iuuenalis, Quanto metiris precio. Liuius. Precio minore captiuos redemit.

Pauca sunt quibus addere, aut eximere possis substantiua, ut, Constat paruo, uel paruo precio fames. Magno, uel precio magno fastidium; Nimio, uel nimio precio emitur, quod precibus emitur.

Sic, Minimo, paulo, uel minimo, aut paulo precio uirtus comparatur.

Efficiens causa.

Efficiens causa in sexto ponetur honeste;
Præpositura tamen quandoque adiungitur aptè.

Sensus est: Omne uerborum genus ablatiuum sibi subijcit, qui causam efficientem significet, ut, Laudis amore tumes.

Deteriores omnes sumus licentia. Terentius, Pinguescit somno.

Expergiscitur clamore.

Submonitio.

Admittitur aliquando præpositio, ut, Lachrymo præ gaudio.

Terentius; Credo, ut fit, misera præ amore exclusit eum foras.

Plautus, Neque miser me commouere possũ præ formidine.

Ablatiuus per Eclipsin.

Exprimitur sextus, sed præpositura tacetur.

Sensus est: Ablatiuus concinne uerbo additur propter dissimulatam præpositionem, ut, Discedere consilio, pro discedere a consilio. Cadere causa, uel Cadere formula, pro, a causa, & a formula.

Est mihi uice fratris, uel loco fratris, Pro, in loco.

Est autem Eclipsis, ne quid te lateat, necessariæ uocis defectus, maxime autem præpositionis: Poetis familiarior, quàm Oratoribus.

Verba potiendi.

Inq; ablatiuum potiendi uerba feruntur.

Quorum utor fungor, potior, quarto addere quibis.

Sensus est: Ablatiui constructio uerbis quibusdam adblanditur significationis haud absimilis, ut Optimum bene aliena insania frui. Salustius, Animi imperio, corporis seruitio magis utimur.

Virg. Si uescitur aura Aetherea &c.

Sic,uictitat Lacte,Caseo, Carne.

Submonitio.

Tria apud uetustissimos cum accusatiuo quoque posita reperiuntur:Vtor,fungor,& potior. Teren.In Prologis scribêdis operam abutitur. Idem,Neque boni,neque liberalis functus est officium uiri. Terentius,
Ille alter sine labore patria potitur commodá,
Quod postremum genitiuo etiã addit pro uinco,& expugno,ut Si eius oppidi potius foret.

Ablatiuus absolutus.

Sunt ablatiui modi,hos dixere sequela,
Quos nunquam ingredier sine participante uidemus.

Sensus est: Cum duę orationes connectuntur, ea cui adiungitur una particularum Si, quando,postquam, uertitur eleganter in duos ablatiuos,quos nudos,& absolutos uocât, hoc est,a nullo pendentes. Et quoniam illis consequentia quædam significari uidetur, non immeritò eos sequelę,uel côsequentię ablatiuos appellare licebit.

Auro loquente, nihil pollet quęuis oratio, id est,quando loquitur aurum.

Malo accepto stultus sapit, id est, Postquam malum acceperit.

Cicero, Nisi explicita solutione non sum discessurus, id est, nisi prius explicuero.
Ouid. Proximus ad dominam nullo prohibēte sedeto, id est, Si nullus prohibeat.

Submonitio.

Ablatiui absoluti nunquam ingrediuntur orationem sine participio expresso, aut saltem subaudito, ut, CHRISTVS natus est Augusto regnante. Carolo nono suborta est seditio: Sub audi regnante, uel existente. Cicerone consule Catilina damnatus est.

Ablatiuus cum præpositione.

Passiuum verbum.

A, uel ab, appositis quærunt passiua latinum
Qui faciem, & pulchrè, sumit quandoque datiui.

Sensus est: Passiuorum casus proprius est ablatiuus a, uel ab, præpositione intercedente, ut, A cane non magno sæpe tenetur aper.
Sic, Osculor a matre.
Hortaris a præceptore.

Submonitio.

Pro ablatiuo datiuus usu uenit aliquando, ut, Mihi odio haberis, pro, a me.
Mihi hoc sic uidetur.

Virg.

Virg. Cur tibi displicere?
Idem: Nec cernitur ulli, pro ab ullo.

Actiui & Passiui cognatio.

Mutatus proprius, passiua uoce manebit.
Improprius casus, quem uox actiua regebat.

Sensus est: Ea est passiui uerbi cum actiuo cognatio, & affinitas, ut accusatiuus patientis uertatur in nominatiuum, & nominatiuus agentis in ablatiuum cum præpositione, ut, Pater castigat filium, filius castigatur a patre. Cęteri casus fere omnes manent in passiuis, qui fuerunt actiuorum, ut,

Doceo te bonas literas: Tu doceris a me bonas literas.
Accuso te furti: Accusaris a me furti.
Comparaui equum duabus minis.
Equus a me comparatus est duabus minis.
Omnem facultatem est indutus. Mart.
Dantur opes nullis nunc, nisi diuitibus.

Passiua significatione.

Vt passiua regunt quędam pro significato.

Sensus est; Passiuorum naturam imitantur Vapulo, ueneo, liceo, exigeo, fio: Quæ pro significatione passiua ablatiuum habent cum prępositione, ut Vapulabis a præceptore; Exultat a patria domo.

CHRI-

CHRISTVS ueniuit a Iuda proditore.

Accipiendi Verba.

Accipio sextum, quem præpositura ministrat.
Poscit, & ut dictum est ferme omnia uerba rogandi.

Sensus est: Accipiendi uerbis, & rogandi peculiaris est ablatiui constructio interueniente præpositione a, ex, uel de: ut,
A bonis, bona disce.
Plau. Ex te audiui: Ex tua accepi manu pateram Cic. De gestu intellexi, quid respondeas.
Sic, Binas a te recepi.
Conduxi domum a Paulo, habeo a te.
Ab alijs eripit, alijs quod largiatur.
Poscendi uerba sunt. Peto, exigo, posco, postulo, quorum supellectilem suppeditabit regula uerborum in duos accusatiuos.

Petere pœnas ab aliquo, quod & Suppliciũ ab eo exigere dicimus. Plautus,
Postulo abs te mihi reddat seruum.

Distandi Verba.

Distandi uerbis sextum dat præpositura.

Sensus est: Distandi, & reuocandi uerbis ablatiuus arridet accedente præpositione.
Cicero, Nihil bono ciui magis conuenit, quam abesse a ciuilibus controuersijs.

Non

Non est tutum pastorem abesse ab ouili, Plau.
Abeo ab illis, postquam uideo me ludificarier.
Sic, Disto, differo, recedo, discedo, alieno, fugio, segrego, diuido, auerto, amolior &c.

Abstinendi uerba.

Abstineo casum dat praepositura latinum.

Sensus est: Abstinendi uerba auferendi casum admittunt prefixa prepositione: ut, Abstinet ab alieno.
Abhorret a nuptijs. uel, ab re uxoria.

Quamuis, abstineo, præpositionem aliquando reijciat: Maledictis abstinere.

Verbis abstinere, apud Plautum.

Et pro ablatiuo, recipiat accusatiuum apud Terentium; Abstinere risus: Abstinere sermonem Plautus.

Quem nec abhorreo uerbũ etiã reijcere solet. Suetonius in Augusto, Nam Pumillos atque distortos, & omnis generis eiusdem, ut Ludibria nature, maliq̃ue omnis abhorruit.

Mereri bene, uel male.

Nec bene, nec de me meritus male dicere possis.

Sensus est: Mereo neutro, & mereor deponenti ablatiuus additur præfixa præpositione de; ut Benè mereri de aliquo est ei cõmodare,

Cicero

Cicero de Amic. Scitũ eſt enim illud Catonis, multos melius de quibuſdã acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces uideãtur. Plautus, Heus tu mulier, male mereri de immerito inſcitia eſt.

Dictio materialis.

Materies ſextum poſcit cum præpoſitura,
Quam Vates etiam paſſim abiecere licenter.

Senſus eſt; Verbis quibuſdam additur ablatiuus cum præpoſitione, qui cauſam materialem ſignificet, ut Virgilius,
Solido de marmore templa inſtituam.
Faber facit pateram ex auro.
Homo factus eſt de limo terræ.

Poetæ omittũt aliquoties præpoſitionẽ, Vir. Sectaq. intexunt abiete coſtas, pro ex abiete.

Diuerſi caſus eidem uerbo additi.

Syntaxi propriè conſtringere Verba cauebis.
Communes caſus nec neutra ſoluta recuſant.

Senſus eſt: Nihil uetat quo minus eidem uerbo diuerſi caſus ratione diuerſa copulentur: ut, Emi equum inuitus fratri meo, minis duabus, Rauerijs, kalendis Octobribus, ab Hippocomo, inſcio patre, & tuo ſuaſu. In qua oratione,

tione, cmi habet ego nominatiuum a fronte, quia est personale modi finiti, alterum nominatiuum inuitus a posteriore, quia habet uim uerbi substantiui, accusatiuum equum, ut actiuum uerbum, datiuum fratri, acquisitiuè positum, ablatiuum precij, minis duabus, ablatiuum loci ad quæstionem per Vbi Rauerijs, ablatiuum temporis kalendis Octobribus ad quęstionem per Quando, ablatiuum cum prępositione ab Hippocomo, ut uerbum accipiendi, ablatiuum absolutũ inscio patre, & ablatiuum causæ efficientis tuo suasu. Nullum enim est uerbum tam absolutum, quod casus communes habere non possit, ut nominatiuum a posteriore, datiuum acquisitiuè positum, ablatiuum precij, loci, temporis, causæ, & huiusmodi: Exempla fingere poteris.

Præpositio in constructione.

Vim dat composito nonnunquam præpositura,
Quæ casum seruans etiam repetita placebit,
Nec uim exercebit uerbo coniuncta cuiuis.

Sensus est: Compositum uerbum cum prępositiuè regit aliquando casum præpositionis, quem alioqui non admitteret, ut Limen exire, apud Terentium: Quia ex eo ab extra componitur.

Adire,

Adire, uel alloqui quempiam, quia neq. Eô, neque loquor habent accusatiuum personæ.

Sæpè etiã repetitur præpositio, ut Cic. Inest in amore fructus. Teren. Ad hominem accedã. Cic. Vita rustica maximè distincta est a cupiditate, & cum officio est coniuncta. Idem, Appellere animum ad aliquid.

In aliquibus tamen uerbum non admittit casum præpositionis: ut,
Arrideo tibi, Non arrideo te.
Liuius, Applicare flumini.
Interesse spectaculo.
Authorum igitur haud magis consideramus; quam Grammaticorum regulas.

Præpositio extra compositionem.

Præposita potest uerbo supponere casum.

Sensus est, Nullum prętere a uerbum, tam alienum a constructione posteriori, quod accusatiuum, aut ablatiuum non recipiat quē præpositio suggerit: ut, Herus meus prandet apud fratrem in foro uinario, ad ædem diui Petri, è regione Basilicæ, non procul a ceruo. In quibus exemplis uides uerbum Prandeo, & accusatiuum, & ablatiuum postpositum non ui propria, cum sit neutrum absolutum, sed ui præpositionum quibus adhæret assumere.

Composita

Composita dictio.

Compositum cui pars iuncta est pro parte teneatur.

Sensus est: Dictio composita, quę alteram compositionis partem expressam recipit, pro altera parte tantum usurpari debet, ut si uerbo exeo adijcias præpositionem ex sumetur tantum pro eo; Et si egredior extra domum dixeris, egredior pro gradior usurpatur.

Sic, Adire ad urbem, id est, ire.

Et de significatione etiam intelligi debet, ut, Cedo significat dare locum, at si illi locum subijcias, significabit dare tantummodo:

Sic nemo homo, pro nullus.

Deriuatorum Syntaxis.

Significata patris, regimen quoque pignora seruant.

Sensus est; Quemcunque casum regit indicatiuus a posteriore, eundem regunt modi cætera tempora.

Item, Gerundia, Supina, & participia eiusdem significationis, ut suo loco patebit.

Quemadmodum enim Latinè dicimus; Amo pręceptorem, sic ama præceptorem, utinam amares præceptorem.

Item amandi, amando, aut amandum præceptorem.

ceptorem. Amans,uel amaturus præceptorem. Et sic de Passiuis,& cęteris etiam iudicandum.

Pugnantia.

Par regimen uideas pugnantia uerbà tenere.

Sensus est: Quæ pugnant significatione, con structione fere conueniunt,potissimum autem nomina,& uerba,ut Peritus, uel imperitus bel li,Pauidus, uel impauidus minorum.
Similis,uel dissimilis patris,uel patri.
Plenus,aut uacuus diuitiarum,uel diuitijs.
Gratus,uel ingratus ager agricolæ.
Reminisci,uel obliuisci iniuriarum.
Damnauit,uel absoluit eum cędis.
Abundat,uel eget pecuniarum,uel pecunijs.
Commodare,uel incommodare alicui.
Suffragari,uel refragari opinioni alicuius.
Benedicere,uel maledicere alicui.

Ex significatione constructio.

Par Syntaxis erit, si par sit significatum.

Sensus est: Vbi significatio est eadem, ibi, eandem oportet esse & constructionem, ut cũ Calleo usurpatur pro Scio,accusatiuum habebit secundum significationem: Persius, Dicenda,tacendaq. calles, id est, scis perfectè. Sic Exalto,pro Laudo,& exaltauit lingua mea iustitiam tuam, id est,exaltando laudauit.

Et

Et Vapulo pro punior, ablatiuum præpositione præfixa, Vapulabis à præceptore.

Quod & in participijs etiam usurpari solet, ut suo loco dicetur.

Circuitionis Virtus.

Cum circumloquimur, similis constructio pollet, Quod quam obseruatum, te lectio multa docebit.

Sensus est, Ea est circuitionis uirtus, ut verbi, cuius loco ponitur, casus admittere consueuerit: ut, Suppetias, uel auxilium, aut opem ferre alicui dicimus, quia auxilior cuius loco ponuntur datiuum post se recipit. Et, insidias hostibus parare, uel tendere dicimus, quia hostibus insidiari dicere consueuimus. Quæ regula non tamen est ista curiose ubique obseruanda, ut circuitioni casum à uerbi constructione diuersum impunè iungere nō possimus: Quod planum ei euadet, qui in bonorum authorum lectione fuerit assiduus.

Delectus.

Delectum in uerbis prudens seruare memento.

Sensus est, Delectus, cuius in principio meminimus, tam accuratè ubique est obseruandus,

ut nefas ſit uerbis quibuſlibet promiſcuè caſus omnes addere. nulla habita ratione phraſeos, ſed exigentię tantum. Licet enim latinè dicamus. Suppetias ferre, & adiumentum dare pro eodem, non tamen Suppetias dare, & adiumentum ferre propterea dicemus.

Et licet facere uerba, & dare uerba dicamus in diuerſa ſignificatione, non idcirco, Agere uerba, uel Tradere uerba dicemus.

Item, Agere gratias alicui dicimus, Non tamen facere gratias, quamuis eadem uerborum ſignificatio appareat.

Et hęc de uerbis perſonalibus finiti modi, cuiuſcunque generis aut naturę.

Infinitiuorum Conſtructio.

Quartum à fronte petunt infinitiua, ſuorum Verborum in caſus à poſteriore feruntur.

Senſus eſt, Infinitiuus ab anteriore Poſtulat accuſatiuum à poſteriore caſum ſui verbi, ut, Gaudeo te recta ualetudine frui.

Æquum eſt liberos parentibus obſequi, parentes liberis prouidere.

Submonitio.

Ex reſolutione dignoſcitur caſus infinitiui, quę per nominatiuum, & finitum uerbum fieri ſolet addita particula quod, quia, quin, uel vt,

Oblitus

Oblitus est se fuisse puerum, id est, quia fuerit puer. Lætor Ioannem ad fore, id est, quia Ioannes aderit·

Non dubito Regem propediem uenturum, id est, quin Rex ueniat.

Rogo te adesse, id est, ut adsis.

Venustius tamen loquimur per infinitum, quam per finitum uerbum.

Vbi autem accusatiuus infinitiui non potest mutari in nominatiunm, tunc regitur à tergo non á fronte, ut Volo te uinum bibere. Te literas discere.

Esse.

Esse cupit casus similes, sæpe alter abundat,
Quos, alia admittunt infinitiua frequenter.

Sensus est, Esse, casus similes connectit, etiã si præcedens aliunde pendeat, ut,

Precor esse tuus.

Illi accidit esse uiro bono.

Apparet hunc esse seruum domini pauperis.

Sæpe etiam alter, hoc est præcedens casus abũdat in hoc Quintil. exemplo, & similibus, ut, Non licet tibi esse procuratorem, ubi Te; subauditur, ut sit consensus casuum, qui tamen ridicule nimis exprimeretur propter datiuum tibi iam expressum.

Submonitio.

Neque silentio prætereundum est alia infiniti ua hos casus admittere posse, ut Martial.

Vis fieri diues Pontifice? nil cupias.

Sic, Non possum resistere solus.

Salustius, Esse quam uideri bonus malebat.

Vnde pendeat infinitiuus.

Vt sensus uerbis infinitiuus adhæret.

Sic adiectiuis, fixis iunxere Poetæ.

Sensus est: Verbis sensum, aut uoluntatem gnificantibus plurimum adduntur infinitiui, vt, Serere ne dubites.

Malo emere quàm rogare.

Non autem uerbis significantibus motum ad locum, neque enim Latinè dixeris, Vado prandere, sed Vado pransum. Vado ad prandendum, aut, Vado ad prandium.

Postponitur & adiectiuis quibusdam, Ouidius: Et cantare pares, & respondere parati. Item substantiuis, sed poetico more. Virgilius, Sed si tantus amor casus cognoscere nostros.

Impersonalium verborum constructio.

Verbum ea ratione uocatur impersonale, q nec distinctos numeros, nec certas personas habeat: Est autem duplex, Actiuæ uocis in t, ut

tędet,

tædet, vacat, & passiuæ vocis in tur, vt amatur, curritur.

Passiua uocis impersonalium constructio.
Passiua poscunt impersonalia uocis.
Cuncta ablatiuum, cui præpositura fauebit.
Et casum uerbi qua acquisitiua creabunt,
Aut huic suppeditat uerbo quem præpositura.

Sensus est, Verbum impersonale passiuæ vocis construitur cum ablatiuo addita præpositione a, vel ab, quo generalis illius significatio restringitur, vt dictatur à præceptore, excipitur à discipulis.

Construitur & cum casu verbi, à quo oritur si sit neutrum acquisitiuum, vt Cicero, illius orationi ab omnibus reclamatum est.

Aut cum eo quem suggerit præpositio, ut, Ouidius, Viuitur ex rapto.

Virgilius, Itur in antiquam syluam.

Submonitio.

Nam si ab actiuis fieret, aut à neutris etiam trāsitiuis, nullū casum prorsus haberet, præter ablatiuum, non enim Latine dicas: Legitur à præceptore Ciceronem, aut aratur ab agricolis terrām, sed per passiuum personale. Cicero legitur à præceptore: Terra aratur ab agricolis.

Neutra enim transitiua passiuum habent in tertijs personis.

Impersonalium uocis actiua constructio.
Primi ordinis.

Inter. & est refert, uelut est, optant genitiuos,
Ex pronominibus, sed tantum quicunque recusant.
Iungitur est rectis, refert, sociusq; latinis.

Sensus est, Tria sunt impersonalia primi ordinis interest, refert, & est, quæ genitiuos admittunt omnium nominum, pronominum; & participiorum, ut, interest omnium rectè agere, uxoris refert scire, quid rerum gerat maritus, Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.

Reijciunt tamen genitiuos pronominũ mei, tui, sui, nostri, & uestri, quorum loco interest, & refert habent ablatiuos mea, tua, sua, nostra, uestra, & cuia, ut cuius, uel cuia est iratum Deum placare?
Respondebis, Nostra omnium interest, uel refert.

Est uerò, nominatiuos recipit meum, tuum, suum, nostrum, & uestrum, ut non est nostrum scrutari arcana Dei.

Eadem autem constructione gaudent, cum fiunt personalia, Vt Terētius, Desine, tua quod nihil refert percontari.

Impersonalia secundi ordinis.

Pœnitet, & miseret, tædet, piget, & pudet optant.
Accusatiuos ante, a tergo genitiuos.

Sensus est, Quinque sunt impersonalia secundi ordinis pęnitet, miseret, tædet, piget, & pudet, quę construuntur cum accusatiuo rei patientis a fronte, & cum genitiuo agentis à tergo, ut, Misereat te mei Deus.

Non solum me stultitiæ piget, sed & pudet etiam idem, suę quemq́ue fortunę pęnitet. Quę nec etiam infinitiuum reijciunt loco genitiui. Pęnitet me illa sensisse. Terentius. Etenim tędet iam audire eadem millies.

Submonitio.

Inuenias tamen & eis quibusdam nominatiuum apponi personalium more, Terent. Hei mihi num te hęc pudent? Plautus, Neminis misereri certum est, quia mei nemo miseret.

Tertij ordinis impersonalia.

Septem infinitum post se uoluere datiuum;
Deierare mihi licet, ingenueq́; fateri.

Sensus est, Septem sunt impersonalia tertij ordinis, liquet, uacat, conuenit, decet, expedit, licet, & sufficit: quæ cum infinitiuo ab anteriore, & cum datiuo à posteriore construi gaudēt, ut Liquet mihi deierare.
Vacat mihi esse diserto.
Licet tibi esse virum bonum, Quintil.

Quarti ordinis impersonalia.

Ante infinitum post quartum poscit oportet,
Et iuuat, atque decet quod personale uidebis.

Sensus est: Tria sunt impersonalia quarti ordinis iuuat, decet, & oportet, quibus infinitiuus à priori consistit, & accusatiuus a posteriori, ut Cicero, Iuuatque me id tibi profecisse. Terentius, Seruum te esse oportet nequam, & malum.

Submonitio.

Decet, tunc est personale, cum nominatiuum habet ab anteriore, ut decet me hæc uestis. Paruum parua decent: & hæc de impersonalibus.

De gerundiorum constructione.

Nil a fronte regunt quæcunque gerundia casus
Verborum si sunt actiuè sumpta requirunt.

Sen-

Sensus est, Gerundia a gerendo sortiuntur appellationem, quasi gerendia, quod in actiua significatione casum uerbi sui gerant à posteriore: In significatione actiua dico, quia in passiua nude, & sine casu in oratione ponuntur: dico præterea, à posteriore, quia nihil prorsus habent, quod regant ab anteriore.

Ea autem significant actiuè, quæ ab actiuis neutris, aut deponentibus oriuntur.

Et ea ipsa sunt quæ casum uerbi gerant, à posteriore, ut in rebus seueris, non est iocandi locus. Parcendum est supplicibus. Fando aliquid si fortè tuas peruenit ad aures Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama.

Passiuè autem significant, quæ à passiuis descendunt, & hæc sine casu ponuntur in oratione, ut, Athenas erudiendi gratia missus, id est, ut erudiretur.

Cum ad imperandum uocaretur, ut illi imperaretur memoria excolendo, sicut omnia, agetur, id est, dum excolitur.

Non igitur rectè diceretur: Hic liber est difficilis ad intelligendum à nobis.

Non uenio ad vapulandum, & sic de cæteris.

Submonitio.

Sunt aūt gerundiorum tres terminationes, dic,

ut amandi,currendi,loquendi: dum,ut, amandum,currendum,loquendum:do,ut amando, currendo,loquendo.

In di,gerundia.

Di substantiuis postponas,mobilibusve.

Sensus est, In di gerundia Substantiuis nominibus annectuntur,& adiectiuis quibusdã, ut Cicero,impunitas, peccandi maxima est illecebra.

Creuerunt & opes,& amor sceleratus habendi:sic,ratio dicendi,

Occasio ridendi,

Tempus cœnandi.

Virg. Æneas celsa in puppi iam certus eundi.

Sic cupidus redeundi, auidus disputandi:& sic de cæteris.

In dum.

Dum,uerbis motus,aut uerbis iunge quietis
Quod petit ob,uelut ad, sed pulchrius inter, & ante.

Sensus est,In dum gerundia,iunguntur tam uerbis motus quàm uerbis quietis, & hęc quatuor præpositionibus succedunt,ad ob,inter,& ante:ut,

Missus ad ornandum mensas.

Inter cenandum redditæ sunt mihi tuæ literæ.

Sub-

Submonitio.

Neceſſitatis formulam conflabit gerundium in dum definens, accedente uerbo ſum, es, eſt, idq́ue ſine præpoſitione: ut Iuuenalis, Orandũ eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Terẽtius, Ita res erat, faciendum fuit.

In do, gerundia.

In do, post e, de, aut ſimiles, uel nuda reponas.

Senſus eſt, Adduntur gerundia in do, dictionibus quibus ſeruiunt præpoſitiones in de, e, ex, a, abs, cum, & pro, ut,

Multos deterret metus a dicendo.

Quis eſt tam impiger in ſcribendo, quàm ego?

Aut ſaltem præpoſitionibus abſtinent, ut, lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent.

Fabricando fabri fimus.

Gerundiuum.

In q; gerundiuum mutatio pulchra gerundi.

Senſus eſt, Doctis auribus fauet oratio, in qua gerundiuum nomen, gerundij uice ponitur: Quæ duo in hoc differunt quod gerundiũ caſum uerbi ſui gerat à poſteriore, gerundiuũ uerò, cum ſit nomen adiectiuum, nihil prorſus habet, ſed cum ſubſtantiuo conuenit in debitis accidẽtibus, ut Veni gratia ſalutãdi parentes:

Veni

Veni gratia salutandorum parentum.
Veni ad salutandum parentes,
Veni ad salutandos parentes,
Multum sudaui in conficiendo epistolam,
Multum sudaui in conficienda epistola.

Supinorum constructio.

Ante supina nihil, actiuè sumpta requirunt
Verborum casus; sed in u fac nuda reponas.

Sensus est, Supinorum duæ tantum sunt terminationes, Vm, vt amatum, V, ut amatu, quæ nihil prorsus regunt ab anteriore, à posteriore uerò casum sui verbi, si sumantur actiuè, ut
Cur te is perditum?
Aut Grais seruitum matribus ibo.
Libri venundantur à Bibliopola.

Nam quæ V, finiunt, passiuè tantum vsurpantur, casum nullum, habent à posteriore: vt, obscœnum auditu, delectabile visu.

Supina in Vm.

Dic vado lectum, dic, & do uolumina uenum.
Nec sedet exceptum dicas, sed ad excipiendum.

Sensus est, Supina in um iunguntur verbis, aut participijs apertum, vel latentem motum significantibus, ut Quin tu is cubitum?

Spectatum

Spectatum ueniunt,ueniunt spectentur vt ipsi.
Ouid. Spectatũ admissi risum teneatis amici:
Horatius,Sic do filiam nuptum.
Conductus sum cantatum.

Ponitur & absolutè cum uerbo est:vt actum est de pelle mea:cessatum est satis,sat ludo datum est.

Vsurpantur & passiuè cum infinitiuo iri: ut, Audierat non datum iri filio uxorem:id est, q non daretur.

Submonitio.

In hoc differt Supinum prius à Gerundio posteriore cum ad, quod hoc quietis ẽt uerbo iungatur,illud tantum motum significanti. latius enim dices,Venit præceptor ad dictandũ, & discipuli ad excipiendum: Item, Sedet præceptor ad dictandum,& discipuli ad excipiendum.

Non autem:Sed & præceptor dictatum, & discipuli exceptum.

Supina in V.

Indignum auditu dic,& mirabile visu;
Sed uenio lectu, aut pransu ne dixeris unquam.

Sensus est,Supina in V,certis quibusdam adiectiuis adduntur,idque nude,& sine casu,ut,

Nec

Nec dictu facilis, nec uisu affabilis ulli, id est, vt dicatur, & videatur.

Nam omnia sunt passiuæ affectionis, Sic, difficile creditu, facile expugnatu.

Non autem dices, Venio lectu, aut pransu, (ait Valla) Sed Venio à lectione, & à prandio.

De Participiorum constructione.

Participans nihil ante regit, pro significato
In uerbi casus à posteriore feretur.

Sensus est, Ea est participij natura, ut pro significatione uerbi sui mutuetur à posteriore constructionem: Nihil enim prorsus regit ab anteriore, ut amans, vel amaturus regunt accusatiuum, quia ab amo actiuo verbo descendunt, quod accusatiuum habere solet.

Amatus, vel amandus ablatiuo gaudent, quia à passiuo verbo ueniunt, quod est amor, cuius proprius casus est ablatiuus a, uel ab, prę positione intercedente, amatus, uel amandus à pat e.

Arans, uel araturus terram dicimus.

Item, Bibens, & bibiturus vinum, quia à uerbo neutro transitiuo descendunt.

Obediens, & obediturus pręceptori, quia obedio vnde prodierunt, datiuo delectatur, ut obsequij verbum.

Idem

Idem censendum est de his,quę à deponentibus ueniunt,Patiens,passus, & passurus inediam,obsequens,obsequutus,uel obsequuturus parenti.

Et à communibus,ut à Criminor actiuę significationis,crimininans,criminaturus innocentem à Criminor passiuè, criminandus à nocentissimo criminatus, & cętera participia intus à communibus uerbis, utramque significationē habent,& regimen utrumque pariter,ut,criminatus socium,& criminatus à socio, osculatus uxorem,& osculatus ab uxore. Quibus exemplis satis apparet, quam ubique certa sit regula illa catholica: Par Syntaxis erit, si par sit significatum.

Participium in casus improprios.
Improprios casus & participantia poscunt.

Sensus est, Quemadmodum autem datiuus pro ablatiuo recipitur post uerba passiua,sic & post participia à passiuis deducta,ut,
Res audita mihi,non credita.
Dilectus Deo,& hominibus.
Et quemadmodum casus non proprius manet in passiuis, qui fuerat actiuorum, sic & inter participia etiam obseruari debet,
Gaudium semper dolori iunctum:

Clauus

Clauus clauo pellendus.

Participium factum nomen.

Vt regimen tempus, collatio, compositumq́;.
Participans nomen faciunt, sic significatum.

Sensus est: Participia migrant in nomen cũ à uerbi sui constructione deficiunt: ut Amans uini, quia amo uini non dicitur, sed amo uinũ. Salustius, Catilina patiens inediæ, algoris, vigiliæ.

Degenerat & participium in nomen, cum tempus omittit, ut cum participium in dus ex ponitur per uerbum debeo debes.
Quintilianus, Non sit præceptor eorum, quæ emendanda sunt dissimulator, id est, quæ debent emendari.

Et cum assumit comparationem, ut,
Nihil appetentius similis sui,
Magis tamen amans dicimus, &,
Maxime amo.

Item compositionem á uerbo aliena: ut, Indoctus, innocens, nam neque indoceor, neque innoceo legitur.

Demum cum á uerbi sui significatione dissentiunt: vt Indictus pro non dictus:
Non enim indico significat non dico.

Sic

Sic, inauditus, pro non auditus, ingenitus, pro non genitus.

Participij compendium.

Participans uoces pulchre ad compendia ducit.

Sensus est, Oratio duobus uerbis uinculo intercedente composita ad compẽdium additur, cum participium uice alterius uerbi & copulę in oratione ponitur, ut, Terentius;

Verberibus cęsum te in pristinũ Daue dedam, pro cædam, & dedam.

Apprehensum capillis, humi sternens in luto uolutauit.

De aduerbio.

Partibus adijciet reliquis aduerbia gaudent.

Sensus est: Aduerbium, ob id nomen sortitum dicunt, quod uerbo adiectum, eius significationem planè aperiat, hoc enim perficit aduerbium adiunctum uerbo, quod adiectiuum substantiuo, ut prudens homo prudenter agit. Nec secus participio iunctum inuenias, ut, Nihil temerè dictum perit.

Et nominibus tum substantiuis, tum adiectiuis, ut uereor ne sis illi nimium mater.

O male concordes nimiaque cupidine cæci, & aduerbio etiam alteri,

Sat citò, si sat bene.

Aduerbij exigentia.

Construitur autem aduerbium cum sex casibus, hoc est, cum omnibus, nominatiuo, genitiuo, datiuo, accusatiuo, uocatiuo, & ablatiuo.

Aduerbium in nominatiuum.

En primo, aut quarto rectè proponis, ut ecce.

Sensus est, En, & ecce demonstratiua, construuntur præcipuè cum nominatiuo, sic tamen, ut nec accusatiuum etiam repudient, ut Virgilius, En Priamus.
Cicero, Ecce autem noua turba.
Cum accusatiuo Virgilius,
En quatuor aras:
En Paridis hostem.
Cicero, Ecce miserum hominem:
Ecce me, quem quęris.
Quibus etiam datiuum sæpius addit Cicero, sed ad ornatum, epistolam cum à te expectarem ad uesperam, ut soleo, ecce tibi nuntius pueros uenisse Romam &c.

Aduerbium in genitiuum.

Dic satis ingenij, tunc temporis, huccine rerum.
Pluralem patrium gradus quoque iunge supremo.

Sensus

Senſus eſt: Quantitatis, loci, & temporis aduerbium, genitiuum poſtulant utriuſque numeri:

Quantitatis, ut Cicero,

Tantum cibi, & potionis adhibendum eſt, ut reficiantur uires, non opprimantur.

Sic, ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum.

Plaut. Tibi diuitiarum affatim eſt.

Loci, ut ubi locorum ſim neſcio.

Perſius, huccine rerum uenimus?

Eo impudentiæ uentum eſt.

Temporis, ut Tunc temporis

Interea loci, Nunc temporis.

Poſtulant, & genitiuum pluralem ſuperlatiui gradus aduerbia, per regimen partitionis. Plinius.

Lynces clariſſimè omnium quadrupedum cernunt.

Omnium dulciſſimè canit Phylomela.

Aduerbium in datiuum.

A patribus capiant aduerbia certa datiuum.

Senſus eſt: Quædam ex aduerbijs datiuum admittunt nominum, a quibus ſunt deducta, ut obuiam alicui procedere, ire uel progredi. Similiter huic ueſtitus erat.

Propinquius tibi habitat, quàm mihi.

Virg. Proprius stabulis armenta tenebat.

Aduerbium in accusatiuum.

Proximè habet quartum, vt propius quem donat origo.

Sensus est; Aduerbia quædam postulant accusatiuum præpositionis unde sunt profecta, ut Propius, uel proximè castra; Nam propè, unde originem habent, numerátur inter præpositiones accusatiuas.

Prope me nescio quis hic loquitur.

Aduerbium in vocatiuum.

O compellando casum petit usque uocandi.

Sensus est; O aduerbium uocandi, & compellandi uocatiuum postulat, ut Virgilius, O Melibœe Deus nobis hæc ocia fecit.

Terentius, O Pamphile salue.

Aduerbium in ablatiuum.

Sępe gradus medius sexto praponi & optat.

Sensus est: Comparandi quibusdam aduerbij auferendi casus additur, ut,

Doctius illo disputat.

Nihil lachryma citius arescit.

Aduerbia in diuersos casus.

Pridie, & huic socius patrium, quartumve requirunt.

Sensus est: Pridie, & postridie temporis aduerbia

uerbia nunc genitiuo, nunc etiam accuſatiuo iunguntur, ut pridie cineralium, uel pridie cineralia. Poſtridie liberaliorum, uel poſtridie liberalia. Dicimus & pridie quàm exceſſit è uita,& poſtridie quàm ueni.

Ab hinc.

Addis ab hinc quarto, ſi uis potes addere ſexto.

Senſus eſt; Ab hinc una pars orationis hoc eſt, aduerbium temporis de præterito dicitur, idem enim ſignificat, quod ex hac die, accuſatiuo, uel ablatiuo iungi poteſt.

Accuſatiuo: Cic. Demoſthenes quidem, qui abhinc annos prope quadringentos fuit.

Ablatiuo idem, Quo tempore? abhinc annis quindecim.

Amplius, & miuus.

Amplius, atque minus rectum, patriumq́ʒ repoſcunt.

Nec minus ornatè quarto, ſextoq́ʒ fruentur.

Senſus eſt; Amplius, & minus nominatiuo, genitiuo, accuſatiuo, & ablatiuo iuxta delectantur, nominatiuo, ut amplius octingenti perierunt, uel non minus octingenti perierunt, Genitiuo: Vtinam tibi minus eſſet uerborum, aut eruditionis amplius,

Accusatiuo Ceperunt amplius tria millia; uel non minus tria millia.

Ablatiuo, debentur mihi ducenti aurei coronati non minus nummo, uel non amplius nummo.

Et hæc de aduerbijs in nomina, nunc de aduerbijs in aduerbia.

Quæsitiua localia.

Quatuor ex multis ubi, quo, qua, ac unde rogabunt.
Queis responsa ferent, aduerbia certa locorum.

Sensus est; Quatuor sunt quæsitiua localia ubi, quod statim in loco significat, ubi studuisti? ubi habitas? Et huic respondent hic, istic, illic, ibi, & ubi cum compositis.

Terentius, Neque istic, neque alibi usquam erit in me mora.

Quo, motum ad locũ significat, quo uadis, quo te agis? Et huic respondent huc, istuc, illuc, intro, foras, alio, eo, quo, sursum, deorsum, & neutro cum compositis:

Terentius, Detineo te hic, tu fortasse profectu rus alio fueras.

Vnde, motum de loco significat: Vnde uenis? Vnde prodis? Et huic respondent hinc, illinc, istinc,

istinc, superne, inferne, intrinsecus, unde, & inde cum compositis. Terentius, Redeo inde iratus, atque ægreferens.

Qua per locum quęrit, ut qua iter facturus es; Qua transiuisti? Qua deflectendum est? Et huic respondent hac, istac, illac cum compositis.

Dic mihi, qua sit iter.

Submonitio.

Foris, & in loco, & de loco significat, herus cenat hodie foris, & herus nondum rediit foris, non de foris.

Intus eandem habet significationem, si eisdem uerbis iungatur; Intus est: Intus quempiam euocare, quod Barbari dicunt deintus.

Nusquam in loco & ad locum significat: Nusquam apparet; Te nusquam mittam.

Sic usquam, & uspiam eiusdē significationis.

Peregrè significat in loco, de loco, & ad locum: Peregre uiuit; Nondum rediit peregrè: Peregrè se contulit.

Quęsitiua aduerbia in Nomina Locorum.

Est Belna Hasdini, Babyloni uel Babilone,
Aut Solymis sextum regio, & commune reseruāt.

In mediante; Domus cum paucis excipietur.

Sensus est: Si quęratur per Vbi, nomen proprium oppidi primæ uel secundę inflexionis singularis numeri in genitiuo reponi gaudet, ut si quæratur; Vbi studuisti? Respondebis: Aurelię, studui Gandaui.

Si sit tertiæ; In datiuo, uel ablatiuo: Studui Diuioni, uel Diuione.

Si sit primę, uel secundæ pluralis numeri, in ablatiuo similiter, ut Nunc agit Metis. CHRISTVS passus est Hierosolymis.

Dixi proprium oppidi; quia regionis propriũ, & appellatiuum reponuntur in ablatiuo addita præpositione in, ut,

In Scythia, & in Ponto non nascuntur asini.
Frequentior est in œnopolio, quàm in templo.

Submonitio.

Quædam tamen ex appellatiuis proprium more ponuntur in genitiuo, Bellum, militia, domus, & humus.

Vnà a paruulis fuimus educati militiæ, & domi.

Rus in datiuo, uel in ablatiuo ponitur indifferenter. Ruri se continet: Omni rure pascuntur.

Quo.

Quo.

Si per Quo quaras, in quarto propria pones.
Appellatiuum, & regio dant prapofituram;
Rus tamen, atque domus propriorum more locantur.

Senſus eſt: Si quęratur per Quo, proprium oppidi locum habet in accuſatiuo cuiuſcũque numeri ſit, aut declinationis, ut, ſi quæratur, Quo profecturus? Reſpondebis Antuerpiam, Mediolanum, Cracaſſonam, Baiocas, Torinos. Appellatiua, & regionum propria recipiunt præpoſitionem ad, uel in, Profectus eſt in militiam.

Conuolandum eſt tibi in Anticyram, ut illic cerebrum purges.

Rus tamen, & domus, quamuis appellatiua, reijciunt præpoſitionem, ut, Rus ſe contulit: Abijt domum.

Vnde.

Vnde petit ſextum, ſexto dant prapoſituram
Cõmune, & regio, ſed ea domus abſtinet, & rus.

Si quęratur per Vnde, proprium oppidi cuiuſcunque declinationis, aut numeri locum habet

habet in ablatiuo, ut, Si quis quærat: Vnde prodis? Respondebis, Prodeo Lutetia, Rotomago, Auinione, Trecis, Petragorijs, *Perigueuris*.

Quod si nomen sit appellatiuum, aut Regionis proprium, in ablatiuo reponetur, sed cum præpositione A, De, uel Ex, ut,

Nondum redijt è foro ex Hispania.

Duo tamen appellatiua Rus, & domus, non recipiunt præpositionem: Venio rure, Prodeo domo.

Qua.

Si, per Qua, est proprium in sexto sine præpositura.
Per, tamen & Regio, atque appellatiua requirũt.

Sensus est; Si per qua quęratur, nomen oppidi ponitur in ablatiuo sine præpositione, ut, Si quis roget, qua transmisisti? Respondebis Hedua, Regiaco, Narbone, Senonibus, Ambianis.

Appellatiua, & Regionum propria recipiunt præpositionem per, ut,

Transiui per templum, Per forum olitoriũ. Iter feci per Italiam, per Britanniam:

Dicimus tamen Transiui domo, non per domum.

mum; Transiui rure, non per rus.

Propria Oppidorum composita.

Simplicium composita uiam, regimenq; sequuntur.

Sensus est: Eadem erit constructio Compositorum nominum, quæ & Simplicium, ad interrogatiua quælibet: ut,
Rex agit Fontis bellaque:
Studui Montispessulani.
Grationopoli.
Se contulit Aquamsextiam. *A eaux en Prouence.* Portumcaletensem, Neapolin.
Nondum redijs ab Augusta, Augustandimo;
Datum Nicopoli.
Transiui sancta columba:
Sancto Florentino:
Rubeomonte, & sic de cæteris.

Submonitio.

Et quia in his aduerbiorum præceptiunculis sæpius facta est mentio oppidi, meminerit, puer, sub oppidi nomine contineri Ciuitates, urbes, uicos, uillas, castella, & alia minorum locorum nomina.

Quemadmodum sub nomine Regionis Insulas, Prouincias, Tetrarchias, & huiusmodi maiorum

maiorum locorum nomina subintelligit ad interrogatiua quælibet.

Meminerit etiam cum obuia habuerit minorum locorum nomina pręposítionibus addita, ut Venit ad Messanam apud Ciceronem: & cum essem in Mediolano, apud eundem: Et maiorum præpositionibus orbata, ut, Italiam fato profugus, Lauinaque uenit littora, apud Virgilium.

Et contra regulam, Vado in domum;
Sum in domo: Et uenio de domo.
Id fieri uel Poetarum licentia, & figurata dicendi forma, aut tam rarò apud Oratores, ut potius adnotandum, quàm imitandum esse censuerim.

De coniunctione.

Persimiles casus Coniunctio nectere nouit.
Cum non obsistit uarij constructio casus
Nectit & ipsa modos similes, non tempora semper.

Sensus est: Coniunctio ob id nomen habet, quod & sententias, & casus etiam similes coniungat, ut Virgil.
Semper honos, nomenque tuū, laudesque manebunt. Idem, Fregisti arcum, & calamos,

Quæ regula ubique locum habet, nisi obsit

con-

constructionis uarietas, tum enim diuersi casus impune coniungi possunt, ut, Studui Athenis, & Lutetiæ: Emi equum talento, & pluris. Cicero; Meum nō est neque cuiusquam, quod auferri, quod eripi, quod omitti potest.

Nec minus inter modos locum habere cōperitur, ut Paupertas laudatur, & alget. Terentius, Quid hic agitur? Statur. Idem, Cur tu abis ab illa? obstetricem accerso.

Non autem inter tempora, ut Vocasti me, & ecce adsum.
Terentius, Et habetur, & refertur a me Thais, ita uti merita es gratia.

Submonitio.

Multa hic adscribenda essent, quæ consulto in supplementorum uicinam transtulimus, ne quid puerum iam ad alia progredientem præpediremus.

De Præpositione.

Præpositura sibi nomen sortitur, ob id quod
His præponatur, queis cum iungatur, & optans
Hæ quartum, hæ sextum, super, in, sub, subter, utrunque.

Sensus est; Præpositio ob id nomen sortitur, quod his ferè præponatur quibus adiungi

ſoleat, ut, Adeo templum: Abeo a templo.

Præpoſitionum extra compoſitionē aliꝗ ſunt accuſatiuæ, quæ accuſatiui adhærent, plus minus triginta numero Ad, Apud, Ante, Aduerſus &c.

Aliæ ſunt ablatiuæ, quæ ablatiuis ſubſeruiunt, numero tantum quindecim A, ab, abs, cum, coram, &c.

Aliæ communes quæ nunc accuſatiuum, nunc ablatiuum uerbo ſuggerunt, ſed pro diuerſa ſignificatione.

Et hæ tantum quatuor enumerantur, in, ſub, ſuper, & ſubter.

Accuſatiuæ præpoſitiones.

Ad, & apud licet ſint eiuſdem ſignificationis: Non tamen Latinè dicas iuit apud fratrem: Sed, iuit ad fratrem, Neque Cœnat ad fratrem, ſed apud fratrem.

Ante, & locum, & tempus, & perſonam reſpicit, Ante templum, Ante lucem, Ante iudicem.

Aduerſum, uel aduerſus, id eſt contra,
Ne Hercules quidem aduerſus duos.
Teren. Mirum quin te aduerſum dicat.
Cis Alpes.
Citra Sequanam.

Circum,

Circum, Capillis compositis.
Circum caput.
Circa Locum, & tempus significat.
Occurrit mihi circa forum uinarium.
Circa undecimam horam.
Contra:
Stultitia est contra stimulum calcitrare.
Erga, Pro meo summo erga te amore tantum onus subeo.
Extra: Extra precium est, & Extra iocum.
Inter, id est, in medio, inter os, & offam multa incidunt.
Intra, Sed intra fortunam debet quisque manere suam.
Infra ad personam refertur: Terentius,
Tace tu, quem ego esse puto infra omnes infimos homines.
Caue autem dicas, infra mensem, aut, infra annum. Sed, intra mensem, & intra annum.
Iuxta, Iuxta Pauli sententiam.
Si iuxta claudum habites, claudicare disces.
Ob, id est, propter; Precium ob stultitiam fero.
Pone, a tergo; Pone ædem diui Petri.
Derriere, L'eglise sainct Pierre.
Per, Terentius; Per te stetit quo minus hæ

ficerent nuptię : *Il ha tenu à toy.*

Prope, id eſt, iuxta : Prope oppidum copias conſtituere.

Propter te turba hæc ſuborta eſt, id eſt, tua cauſa.

Secundum, Iuxta, uel Prope.
In capite ſecundum aurem uulnus accepit.

Significat & Secundo loco.
Secundum Deum honor debetur parentibus.

Poſt hominum memoriam, uel,
Poſt homines natos.

Trans, id eſt, ultra, Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Vltra, opponitur citra; Vltra pontem.
Præter, Plautus : Præter ætatem ſtultus es.
Cicero, Hæc pręter opinionem accidere.

Supra, contraria eius quæ eſt infra, ut,
Supra omnes homines.

Circiter, ad tempus, & numerum refertur, interdum ad locum.
Redito ad me circiter meridiem.
Multi eo bello capti, circiter duo millia deſiderati.

Secus, id eſt, iuxta; Secus decurſus aquarum feruntur ſalices.

Penes, idem quod Apud, niſi quod penes ſignificat

ſignificat in manu,ſeu dominio eſſe, quod non ſignificat apud Ciceronem,
Omnia mea ſunt penes illũ, *Tout mon bien est en ſa puiſſance.*

Ablatiua Præpoſitiones.

A, Ab, Abs,eiuſdem ſignificationis,
A villa redeo,Ab agris,Abs tripudio.
Cum,ut,Vtinam (& quod cum ſalute eius fiat) cras ad nos aduolet.
Coram,Cantabit uacuus corã latrone viator.
Clam,Cepit eam amare clam viro.
De, De tuo iſtud addis.
E, Laborat è renibus, E capite.
Ex, Ex æquo,& bono facere,*à la bonne foy.*
Pro,Iſtud tenes:quod pro te facit.
Præ,Ante,Præ ſe armentum agere.
Significat etiam ad comparationem, Cicero: Non tu quidem uacuus moleſtijs,ſed præ nobis beatus,id eſt,ad comparationem.
Palam:Palam omnibus ſua uitia iactitat:id eſt, in omnium conſpectu.
Abſque: Abſque baculo ne ingreditor.

Præpoſitiones ambiguæ.

In , ſeruit accuſatiuo , cum ſignificat erga , Contra,Coram,Apud,Ad.& Vſque,Ad,vt,

Multa in me contulisti beneficia, id est, erga me.

Quid metus Æneas in te committere tm̄? Quid Troes potuere? id est, Contra te.

Vereor te in os laudere, id est coram, & te pręsente.

Ea sunt quę non probantur in vulgis: id est, apud populum.

Dare sororem in concubinatum, id est, ad concubinatum.

In lucem semper Acerra bibit, id est, usque ad lucem.

Iungitur & accusatiuo quoties motio, diuisio, mutatio, similitudo, & rei incrementum cum tempore significatur, ut, Ire in rem pręsentem. *Aller sur le lieu contentieux.* Virgilius, Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Quintil. Nam bona facile mutantur in pœnis nunc, quando in bonum uerteris vitium? Virg. Portus curuatus in arcum.

Quintil. Multa linguę uitia nisi primis eximantur annis, inemendabili in posterum prauitate durantur.

In uerò, iungitur ablatiuo cum accusatiuus in loco significatur: Est in fabulis omnium,

nium,id eſt,ab omnibus ridetur.
Neſcis quantis in malis verſer miſer.

Sub.

Sub, accuſatiuo caſui ſeruit, cum ſignificat Subter,circum, paulo ante, & paulo poſt: Et cum motus ad rem,uel ad locum ſignificatione, Virg. Poſteſq; ſub ipſos nituntur gradibus, id eſt,ſubter.
Sub noctem cura recurſat:id eſt,paulo ante.
Sub idem tempus acceſſit,id eſt,circa.
Sub horam decimam imponitur clauſula diſputationibus,id eſt,poſt horam decimam.
Fugienſque ſub antra.

Seruit autem ablatiuo cum ſignificat in,ad, iuxta,& infra, Sub manu Tabellarios habere, id eſt,in promptu,& poteſtate.
Quę & tunc accuſatiuum etiam recipit.
Sub iudicium, & delectum ſapientes cadunt.
Cautum eſt ſub pęna capitis,id eſt, ad pęnam.
Sub urbe eſt agelli paululum, id eſt,iuxta urbem.
Recubans ſub tegmine fagi,id eſt, infra.
Scorpius ſub omni lapide. *Danger par tout.*

Super.

Super ſeruit,accuſatiuo, cum ſignificat ultra, pręter,prope,& inter.

Super Garamantas, & Indos proferet Imperium: id est, ultra.
Grauissimus, & doctissimus, super hæc inculpatissimus, id est, præter hæc.
Situs est super fontem, id est, prope.
De eius nequitia super cœnam loquebamur, id est, inter cœnandum.
Ablatiuo casui seruit, cum significat de, uel in; Multa super Priamo rogitans, id est, de Priamo.
Poteris nocte hac requiescere mecum fronde super viridi.
In qua significatione nec accusatiuum reijcit. Fama super æthera notus.

Subter.

Præpositioni subter una est significatio, & ei ad uersatur quæ est super.

Iungitur autem, & accusatiuo, & ablatiuo promiscue, ut Subter aquas, uel subter aquis vrinari, *Nager entre deux eaues.*
Cicero, Plato iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locauit.

Postposita Præpositiones.

Postpositas uerbis reperimus præposituras.

Sensus est: Postponuntur aliquando præpositiones suis casibus Tenus ablatiuo singulari,

& genitiuo plurali. Virgilius,
Capulo tenus abdidit ensem.
Sic, Crurum tenus. Aurium tenus.
Cicero, Cum Romam uersus ires.

Et Vsque præsertim ordinata cum altera præpositione. Ad multam usque noctem produximus.

Cum proprijs tamen oppidorum, & duob. appellatiuis rus, & domus, solitaria construi solet. Lingonas usque, &, Domum usque.

Submonitio.

Cicero etiam Quicum, & Quiescum, seu Quibuscum sæpius usurpat, sed non sine gratia. Quid dulcius quàm habere, quicum omnia, vt tecum, loqui possis? Id est, cum quo.

Obseruatio circa præpositionem.

Vult Ab, uocales, Abs Q T, Consona uult A.

Sensus est: Sunt & præpositiones quæ significatione quidem conueniunt, situ autem discrepant maximè: Nam A, præponitur dictionibus Initium habentibus à consonante.
A bonorum causa stare,
A potu cęnam incipere.
Ab contra, à vocalibus:
Ab aurora, An omni uenustate.

Abs uerò, præcedit Q, & T.
Abs quouis homine doceri turpe non est.
Abs te hoc est ortum.

Præpositione in Aduerbia.

Vocum orba fiant aduerbia præpositura.

Sensus est, Præpositiones quæ citra casum usurpantur, in aduerbiorum naturam transeunt.

Virgil. Pauco post tempore uenit.
Idem, Pone subit coniunx, id est, retro.
Cicero, Satis superque habeo, quod mihi dederis.
Earum literarum exemplum infra scripsit Cicero.
Serpit subter, supraque.

De Interiectione.

Interiectio cum quinque casibus construi solet. Nominatiuo, datiuo, accusatiuo, uocatiuo, & ablatiuo, quæ ut dissimiles affectus significat, ita & diuersis casibus adhærere solet.

O.

O, primo, quarto, & quinto donare solemus.
Sum minus est uehemens affectio, dissimulatur.

Sensus est: O exclamantis interiectio nomi-

natiuum,accusatiuum, & uocatiuum recipit, ut,O magna vis virtutis.
O faciem pulchram.
O Daue ita ne contemnor abs te?

Dolentis,& lugentis,nominatiuo & accusatiuo iungitur: Terent. O Mysis Mysis etiã nunc mihi scripta illa &c.
Cicero,O me perditum,O me afflictum.

Cum remissior est affectus & minus uehemens,tum pulchrè subauditur in oratione,vt, Deum immortalem.
Terentius,Hominem perditum.

Heu,& Proh.

Rectis uel quartis heu,proh sociare iubemur.

Sensus est:Heu dolentis, & proh indignantis nominatiuo, & accusatiuo promiscuè iunguntur,ut,Heu pietas.
Heu prisca fides:Heu literas minutas.
Proh Iuppiter, tu homo adiges me ad insaniã
Proh Deum,atque hominum fidem.
Neque diuersum est heu, lamentantis, & lachrymantis: Cicero, Heu conditionem huius temporis.

Hei,& Veh.

Hei,& Veh,proprio debes aptare datiuo.

Senſus eſt, Hei, & Veh, datiuum tantum poſtulant, ut, Hei mihi non poſſum hæc ſine lachrymis commemorare.
Terent. Veh miſero mihi, quanta de ſpe decidi.
Eſt autem hei dolentis, & ingemiſcentis.
Veh, eſt his rebus proprium quas execramur.

Apage.

Apage post quartum dat prępoſitura latinum.

Senſus eſt, Apage, uox qua utimur ſignificantes rei alicuius faſtidium: nunc accuſatiuū ſolum habet, Plautus, Apage ī ſtiuſmodi ſalutem.
Nunc cum accuſatiuo ablatiuum addita præpoſitione idem, Apage te a dorſo meo amator.
Admittit etiam Cum, præpoſitionem. Cicero, Apage te cum noſtro Sexto Seruio.
Nunc abſolue ponitur. Plaut.
Apage, non placet me hoc noctis eſſe.
Apageſis, id eſt, Apage ſi uis, nullum caſum depoſcit.

Ordo reſolutionis Grammaticæ.
Principium teneant aduerbia quando reſolues.

Qua

Quæ prohibent, monstrant, uocitant, hortantur, & optant
Respondent, vel quę interiectio suppeditabit.
Dictio recta sequi, uel quod declarat, auebit.
Si quid supprimitur, resolutio pandet aperte.

Sensus est, Grammaticæ resolutionis septem regulas assignant Grammatici.

Prima, Aduerbia prohibendi, demonstrandi, uocandi, hortandi, optandi, & respondendi: Item & interiectiones primum locum occupare solent in ordine resolutionis grammaticæ: Secunda: Secundum locum tenet uocatiuus, Tertia, Tertio loco sequitur nominatiuus quẽ uerbum recipit ab anteriore.

Quarta: Nominatiuum sequetur uerbum personale modi finiti, si adsit.
Sin abest, auspiciamur a uerbo impersonali actiuæ aut passiuæ vocis.
Quintil. Pœnitet respicere plura testimonia.
Vergil. Itur in antiquam syluam.
Quinta: Dictio recta a posteriorę postponitur dictioni regenti, ut nominatiuus post uerbum, Deus est summum bonum.
Genitiuus; ut Accersitur capitis.

Dati-

Datiuus:ut Precibus fortuna repugnat.
Accusatiuus:ut, Cur me miserum uerberas?
Ablatiuus,ut, Concordia paruę res crescunt.
Sexta: Declarans etiam debet postponi declarato, ut adiectiuum subiunctiuo, aduerbium uerbo,& infinitiuus uerbo finito.
Septima:Si quid in oratione subauditur hoc etiam suppleri debet in resolutione,ut, Egomet continuo mecum, Subaudio,dixi Ventum erat ad Vestæ;Templum scilicet. Hinc mihi prima mali labes,erat subaudio.

Submonitio.

Quod rogat atque refert,quod diuidit aut negat optant
Postponi,ut denet,uel pracedens referenti.

Sensus est,Sex exceptiones patiuntur pręcedentes regulę.

Prima: Cogimur aliquando inchoare grammaticę declarationis ordinem per obliquum, aut aduerbium,propter interrogatiuum quod pręcedere solet;ut, Quem das finem Rex magne laborum?
Vbi quęram,ubi inuestigem?

Secunda: Nomen relatiuum non sequitur, sed pręcedit dictionem à qua regitur, & hinc

etiam aduerbium, hic est liber quem iamdudum legere cupiebam: uidi oppidum ubi natus Rex creditur.

Tertia, Res quæ diuiditur præcedere debet dictionem à qua regitur: ut, Sonorũ alius vox, alius non uox.
Animalium aliud rationale, aliud irrationale.

Quarta: Negatiua etiam dictio debet præcedere in ordine declarationis grammaticæ: Neutiquam hæc res neglectu est mihi. Terent. Liuius, Neminem uideo esse cuius opera putet Respublica &c.

Quinta, Debent & dictiones pręcedere, quę ad sensum perficiendum plura uerba postulant, ut sunt aduerbia infinita. Cum dum, donec, quoniam, quia, deinde, licet postquam, & his similia, Ouidius.
Donec eris felix multos numerabis amicos.
Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit.

Sexta: Obliquus nonnunquam præponitur nominatiuo, aut uerbo, contra præcedentes regulas, quod relatiuum necessariò postponatur antecedenti, ut, Patrem sequitur sua proles. Fratrem iam incipit suę conditionis tędere. Est autem resolutio, seu declaratio gramma-

ticæ, ordo quidam quo ſingulæ dictiones ad ſuum regimen,& naturam propriam reuocantur,clarioris intelligentiæ gratia.

Hæc ſunt,amice Lector, quæ de partium orationis conuenientia,exactione,delectu,& reſolutione uiſa ſunt neceſſaria quæ ſcriberētur. Si qua præterea deſiderabit ſtudioſus adoleſcens,inter ſupplementa perquirat,quæ ex induſtria a cæteris ſemoui, ne quid eſſet quod puerum alacriter in planicie currentem,aut retardaret, aut impedimentum aliquod inferre poſſet.

FINIS.

NVNC DE SVPPLEMENTIS diſputabitur.

SVpplementum,ſeu Expletio eorum,q̄ toto opere viſa ſunt deſiderari, ad intellectum præcedentium:adiectiuorum differentia.

Cum uerbo,eſt,geminis incluſum mobile fixis.
Poſterius ſpectat,ſi mobile participans ſit
A verbo ſum,uel ſimili,ſauet anteriori.
Poſtpoſitum uerò,fixo quadrabit utrique.

Senſus

Sensus est: Adiectiuum nomen pronomen aut participium cum verbo Sum, es, est, substantiuus duobus interpositum sequenti adhærebit, ut,

Canis est fidele animal.
Leo est truculenta belua.
Musica est meum delicium.
Scortum est tua uoluptas.
Asinus est contemptum animal.
Luxuria damnatum magis quàm uitatum uitium. Participium uerò à substantiuo, uocatiuo, aut id genus uerbo, præcedenti conuenit: vt, Hic libellus est inscriptus Syntaxis: Liberalitas tenacibus est habita uitium: Lignum est factum carbo.

At ubi adiectiuum huiusmodi utrique substantiuo postponeretur, utrilibet congruere posset, ut Ludos Megalesia appellatos: Liuius, Puteoli colonia dicearchia dicti: Plinius, Gens uniuersa Veneti appellati: Liuius, Non omnis error stultitia est dicenda, Cicero.

De relatiuis.

Stet genere, & numero præcedens cum referente
Diuersum referens debet quadrare sequenti

Sic

Sic tamen ut simili specie teneatur utrumque.
Mobile quod repetit, cum posteriore coibit.

Sensus est, Relatiuum aliud substantię, quod refert antecedens substantiuum.

Aliud accidentis, quod antecedens adiectiuum repetit.

Relatiuum substantię duplex: Similitudinis scilicet, & diuersitatis.

Relatiuum similitudinis est quod idem refert cum suo antecedente, qui, quę, quod: ille, ipse, is, idem: & si quando referunt iste, & hic.

Quę relatiua omnia genére, & numero cohęrere solent cum antecedente substantiuo: vt, Samia mihi mater fuit, & ea habitabat Rhodi.

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

Relatiuum diuersitatis est, quod refert antecedens diuersum à consequente, cum quo tamen consequente concordare debet, sed sub eadem specie: ut, Metuit Agnus Leones, & alias feras.

Amo laurum, & cęteras arbores.

Relatiuum uerò accidentis, est quod refert antecedens adiectiuum, qualis, quantus, quot, quotus, quotenus, cuias, & quotennis.

Quę

Quę relatiua nullo accidente conueniunt cum antecedente,ſed cum conſequente,genere,numero,& caſu:ut,

Polyphemus erat altus,quanta eſt turris.
Crines nigri,qualia Æthiopum corpora
Vinum guſtaui decenne,quotennis ego ſum.

De relatiuis, qui, quæ, quod.

Inter diuerſos caſus generum uariorum
Si referens ponas, quorum commune ſequens ſit,
Vtrumque aſpiciet,proprio quadrato ſequenti.

Senſus eſt,Relatiuum qui, quæ, quod, inter caſus diuerſarum generum poſitum, quorum ſequẽs appellatiuum fuerit,cum vtrolibet conuenire poterit.

Animal plenum rationis,& conſilij,quem uocamus hominem.

Cicero,Homines tuentur illum globum, qui terra dicitur:Sic,

Animal,qui equus,vel quod equus dicitur.

At ubi ſequens proprium eſſet, cum eo tantum concordare relatiuum:ut,

Eſt in carcere locus, quod Tullianum appellatur Saluſtius.

Carcer quę latiumna appellantur, Cicero.

Sic

Sic, Oppidum, quæ Belua dicitur, non quod Belua dicitur.

Alia huius relatiui regula.

Præcedat referens, cum præcedente coibit.
In simili casu uerboq; regentur eodem.

Sensus est, Venustas inest orationi, in qua relatiuum præcedat antecedens sic, ut in simili casu ab eodem uerbo regantur, ut,
Quas ad me dedisti literas, pergratæ mihi fuerunt.
Quem mihi dono dedisti libellum, incredibili me affecit iucunditate.

Submonitio.

Ab hac uenustate recedunt hæ, & huiusmodi locutiones: Vrbem quam statuo uestra est.
Sermonem, quem audistis, non est meus.
Quas sic purus disponas.
Quam statuo urbem, uestra est: uel,
Vrbs, quam statuo uestra est: sic,
Quem audistis sermonem, non est meus, uel,
Sermo, quem audistis, non est meus.

De genitiuis pronominum.

Actiuè quædam signant pronomina, quædam
Passiuè, quæ rem possessam odere, petuntq;.
Partem integralem uerbalia uerba secundum
Quæ casum poscunt impersonalia demas.

Sensus

Senſus eſt ; Genitiui pronominum mis, tis, ſis, noſtrum, ueſtrum, olim ſumebantur actiuè, quorum loco poſſeſſiua quinque uſu ueniunt: meus, tuus, ſuus, noſter, ueſter, quæ citra delectum ſubſtantiuis omnibus adiungi poſſunt: ut,
Natus meus quem habeo. Voluntas mea.
Suus mos. Amicus noſter, Pręceptor ueſter.

At mei, tui, ſui, noſtri, ueſtri, paſſiuè tantum uſurpantur: ut,
Amor mei, quo ego amor.
Deſiderium tui, quo nolens uolens deſideraris.
Imago ſui, qua repræſentatur.
Fama noſtri, quæ de nobis habetur.
Cura ueſtri, quæ de uobis.

Qui genitiui quinque, a nominibus rem poſſeſſam ſignificantibus abhorrent omnino:
Neque enim Latinè dixeris:
Liber mei, quem ego habeo.
Neque Ager tui, quem poſſides.
Sed, Liber meus, &, Ager tuus.

Delectantur autem nominibus partem generalem, & integralem connotántibus; ut,
Dimidium mei, pars tui, aliquid ſui, nihil noſtri, reſiduum ueſtri.
Cicero, Ex quo uereor ne nihil ſim tui, niſi ſupploſionem pedis imitatus.

Verbali etiam dictioni, aut ei affini coniungi solent, alieni appetens, sui profusus; Sal. acerrimum tui defensorem ostendit. Cicero, Nulla est uoluptas, quæ non assiduitate sui fastidium pariat. Plinius,

Iunguntur, & uerbis genitiuo gaudentibus, ut, Nostri nosmet pœnitet. Terentius, Ita prorsus oblitus sum mei, idem.

Submonitio.

Excipies tamen impersonalia interest, refert, & est, quæ genitiuos quinque reijciunt penitus, & horum locum interest, & refert habét ablatiuos mea, tua, sua, nostra, uestra, & cuia.

Est uero meum, tuum, suum, nostrum. Cicero, Tamen, ut uidit tua interesse; Plautus, Tua istud refert si curaueris. Terentius, Nostrum est intelligere.

De quibus & inter impersonalia etiam.

Quibus genitiuis iungantur.

Vnius hac poscunt cuiuslibet, atque duorum,
Et quæ participant aut ipsa Gerundia donant.

Sensus est; Genitiui hi quinque passiuæ affectionis mei, tui, sui, &c.

Et ablatiui mea,tua,sua, &c.
Aut nominatiui meum, tuum, suum, &cæt. quorum loco ponuntur,genitiuum nullum recipiunt; inauditum enim est Latinis auribus. Interest mea Christiani Deo parere, sed, interest mea qui Christianus sum: Neque Tuum est discipuli præceptori obedire: Sed, Tuũ est, qui es discipulus. Terentius, Id mea minimè refert,qui sum natu maximus.
Nunc mea uerba legis, qui sum summotus ad Istrum,Ouidius.
Admittunt tamen genitiuos tres unius, solius,ipsius,&horum genitiuos plurales.Cicero, Solius enim meum peccatum corrigi non põt. Suo ipsius indicio perijt sorex.
Item genitiuos uniuersalium & particularium; Omnium cuiuslibet.
Cicero, Voluntati uestræ omnium parui.
Quibus adduntur multorum, paucorum.
Brutus ad Ciceronem. Qui uestræ paucorum respondeat laudibus.
Adhęc,numeralium cardinalium genitiui duorum,trium, quatuor &c.
Liuius,Noster duorum euentus ostendet utra gens bello sis melior.
Genitiuos præterea gerundiorũ,uel gerundiuorum,

diuorum; Cicero. Lucium Crassum quasi colligendi sui causa se in Tusculanum contulisse; Postremo, genitiuos participiorum; Ouidius,

Sæpe rogabis.
Vt mea defunctæ molliter ossa cubent.

Ille & iste.

Ille quidem laudat, contemnit & iste uicissim.

Sensus est. Ille tum maximè in oratione locum habet, cum ob eminentiam quandam rē omnibus notam significare uolumus, ut, Nasica ille prudens, bis Consul. Alexander ille Macedo.

Iste autem cum rei alicuius cum stomacho, aut contemptu meminimus: Terentius,
Iste Cherea, iste Ephebus frater Phædriæ.

Hic, & ille.

Respicit his proprius, sed quod magis ille remotum.

Sensus est; Cum ad duo antepofita referuntur hic & ille; hic ad posterius, & proprius, Ille ad prius, & remotius fertur. Ausonius,

Quis neget Aeneæ natum de stirpe Neronē?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Hic,

Hic, & is.

Hic, & is accrescens pulchrè sibi copula iungit.

Sensus est; Hic, & is relatiua post copulatiuam coniunctionem concinnius apponuntur, quasi in Epexegesi, ut, Est illi uestis pauca, & ea detrita, & sordida.

Alexāder paruis copijs fretus superauit Darium, cum infinito exercitu, & in id adolescentia, uel & hoc in adolescentia.

Hic, ille, & iste.

Personam notat, hic primam notat, iste secundam;

Ille notat ternam: Sic inde aduerbia distant.

Sensus est; Hic, iste, & ille hoc inter se differunt, quod hic, me, meum, quodve est ubi ego sum significat: Terentius,

Tu si hic sis, aliter sentias. Donatus hic, seipsum ostendens dicit, & est hic, Pronomen.

Idem, Hic meus carnifex.

Idem: Puer hic unde est?

Iste, tu, tuum, tibi proximum, aut de quo loqueris. Terē, Mirū ni tu credas, quod iste dicat.

Cicero, Remoue paulisper istos gladios: hoc est, tuos.

Ille, rem aut personam ab utroque semotam,

Terentius, Ille ne indotatam uirginem atque ignobilem daret illi?
Idem; Nonne accedam ad illos.

Quæ differentia, & in aduerbijs ab his pronominib. deductis locum habere comperitur. Nam hic, locum significat ubi ego sum, isthic, ubi tu es: illic, ubi neque ego, neque tu sumus: sed persona tertia.

Sic. Huc, isthuc, illuc, hac, isthac, illac, hinc, isthinc, illinc, & sic de cæteris.

De substantiuo verbo.

Diuersi numeri fixis postpone duobus
Sum verbum, & belle quadrabit proximiori.
Quod si interijcias, debet quadrare priori.

Sensus est. Substantiuum uerbum duobus nominatiuis numeri diuersi postpositum secũdo consentit; Ouidius, Omnia pontus erat, Idem, Domus antra fuerunt.

Quod si duobus interponatur, præcedenti respondebit. Mandata Dei, sunt meditatio Christiani.

Submonitio.

Nolim tamen contendere id apud probatos & authores aliter non inueniri: ut,
Liuius, Captiui militum prǫda fuerunt.
Ouidius, Sanguis erant lachrymę.

De quibusdam aduerbijs.

Quarto quam primo simul, ac simul atque praibunt.

Sensus est: Simul, simulac, simulatque, coniunctiuis connectuntur frequentius, indicatiuis aliquando, significant autem quamprimum, uel statim quum, siue postquam.

Horatius, Simul ac durauerit ætas
Membra, animumq; tuum, nobis sine cortice, uel, durabit ętas.

Cicero, Omne animal simul atque natum est uoluptatem appetit, uel, natum sit, aut fuerit. Idem omne animal simul ut ortum est, simul & seipsum, & omnes partes suas diligit, uel ortum fuerit.

Vbi, postquam & huiusmodi.

Da postquam primo, quarto sed rarius addes.

Sensus est: Vbi, postquam, priusquam, ut, & quum, temporis aduerbia indicatiuo magis delectantur. Virgilius,
Hæc ubi dicta dedit.
Plautus, Postquam in urbem crebro cõueniõ.
Antequam de Republica dicam.
Terentius, Priusquam hanc uxorem duxi.
Cicero, Est enim annus, ut repulsam tulit.

id est,postquam. Plautus,
Grauidam ego illam reliqui,quum abeo.
Raró admodum subiunctiuis connectuntur
Terentius,Vbi nos lauerimus, si uoles lauato.
Salustius, Priusquam incipias, consulto opus est,& ubi consulueris, maturè opus est facto.
Cicero, Antequam aliquo loco concedo, literas a me non habebis.
Idem, Quum sæpe multa narraret, tum memini.

Dum,& donèc.

Quando quousque notant dum, donec, utroque fruuntur.
Nec subiunctiuum pro quamdiu admittere norunt.

Sensus est: Dum,& donec,pro quoad, uel, quousque Indicatiuo,uel subiunctiuo iuxta delectantur, Cicero,
Ego in arcano operior,dum ista cogito.
Terentius, Nunc quid expectas Syre? an dum hinc denuo abeat? Liuius,
Donec ad hęc tēpora,quibus nec uitia nostra, nec remedia pati possunt.
Columella: Donec ea aqua, quam adieceris, decocta sit.
Pro quamdiu, Indicatiuo tantum gaudent.
Terent.

Terentius, Dum licitum eſt ei,dumque ætas tulit,amauit.Ouidius,

Donec eris fœlix,multos numerabis amicos
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Similitudinis aduerbia.
Sic,ut, & utrumque ac ſimiles donantur utriq;

Senſus eſt: Similitudinis aduerbia, quemadmodum,ut,utcunque,& ſicut, utrique modo promiſcuè iunguntur: Cicero,
Quemadmodum ſoles,uel ſoleas.
Idem,ut aliud ex alio incidit.
Idem,ut ſementem feceris, ita & metes.
Plaut.Sic faciam,ſicut conſilium eſt.
Idem,Vtcunque animo collibitum eſt meo.
Terent.Tu ut ſubſeruias orationi, utcumque opus ſit uerbis uide.

Ne,& non.
Ne pete,neve petas dices,non quando negabit
Omnibus adde modis, demas niſi fortè ſecundū.

Senſus eſt: Ne,& non in hoc differunt,quod hoc negandi ſit, illud prohibendi, propterea ſubiunctiuorum ſecundis perſonis,aut imperatiuorum tantum additur.

Terentius,Si certum eſt facere, facias, uerum ne conferas culpam in me.
Idem,Ne ſæui tantopere.
Non uerò negatiuum,omnibus modis, præter unum imperatiuum,iunctum reperias.
Non uenerat,cum ad te ſcripſi.
Non ueniret,niſi uocaretur.
Non ueniſſet,niſi eum deduxiſſes.
Non uenire debuerat.

De coniunctionibus quibuſdam.
Nedum,Non tantum,ueruntamen,& ſimiles.

Membra ſecunda tenet nedum, ſed cum leuiore
Momento affirmans, vt cum grauiore negando;
Non modo præcedit memento cum leuiore,
Verumetiam ſequitur pondus, quod maius habebit
Idq; affirmando, contra facis inficiando.

Senſus eſt:Inter Nedum,non ſolum,nō modo,& non tantum coniunctiones conſimilis plane ſignificationis hoc intereſſe dicitur,quod ſi per nedum in oratione affirmatiua loquimur, ſiue uno uerbo, ſiue duobus oratio claudatur, ſecundum orationis membrum occupat;& rei minoris momenti coniungi debet, ut, Funde-

rem pro te ſanguinem,nedum pecuniam.Item: Funderem pro te ſanguinem, nedum pecuniã crederem. In negatiua uero maioris efficaciæ ꝛ ei coniungi debet; ut,

Non effunderem pro te pecuniam, nedum ſanguinem, &,

Non crederem tibi pecuniam, nedum pro te ſanguinem effunderem.

At, Non ſolum, non tantum, & non modo in priore orationis clauſula reponi gaudent, quas in poſteriore aduerſatiuæ particulæ uerũ etiam,ſed etiam,ſed &,ſequi ſolent.Quę ſi affirmatiuam orationem ingrediatur, quod minoris eſt momenti pręcedit,ut,Non ſolum pecuniam pro te effunderem, uerumetiam ſanguinem.

In negatiua uero contra euenit.

Non ſolum ſanguinem pro te effunderem,ſed nec pecuniam quidem.

Ne dicam.

Si fixum ſequitur ne dicam,mobile quarto
Quod ſi interciciat, in recto vtrumque relinquet.

Senſus eſt:Si clauſula,ne dicam,poſtponatur ſubſtantiuo,adiectiuum ponitur in accuſatiuo, ut, Homo impudens in arcam ſtultum, non ſtultus, quia homo ſubſtantiuum præcedit.

Sin-

Sin ſubſtantiuo, & adiectiuo interponatur, relinquit utrumque in nominatiuo, ut, Crudelis ne dicam impius, & ſceleratus Turca. non ſceleratum turcam, quia turca ſubſtantiuum ſequitur.

Quamquam, etſi, etiamſi, tametſi, quamuis, & licet.

Quamquam me læſit, quamuis me læſerit inquis.

Senſus eſt: Quamquam, tametſi, etſi, etiamſi, frequentius adduntur Indicatiuis.
Quamuis, & licet, Subiunctiuis. Virg.
Quamquam animus meminiſſe horret.
Plautus, Tametſi non noui, dabo, Terentius,
Etſi amor grauiter, conſuetudoque tenet.
Cicero, Quam tibi, etiamſi non deſideras, tamen mittam.
Idem, Quamuis prudens ad cogitandum ſis.
Ouidius, Ipſe licet uenias Muſis comitatus Homere.
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Submonitio.

Inuenias tamen Quamquam, & affines particulas etiam ſubiunctiuo additas, ſed rarius.
Quintil. Cædi autem diſcipulos quamquã id receptum ſit.

Terent. Memini tametsi nullus moneat.

Ni, nisi, & similes.

Ni, nisi, cum socijs primo, quartoq́ praibunt.

Sensus est; Quas subijciam coniunctiones, Subiunctiuo iungi solent, neque indicatiuum etiam reijciunt.

Ni, Terentius. Nam ni hæc ita essent.
Idem; Mirum, ni Daui est.
Nisi, Terent. Nisi quid me fefellerit.
Item, nisi me animus fallit.

Si, Terent. Redeam, non si me obsecret.
Idem, Si enim relinquo, eius uitæ timeo.

Siquidem, Teren. Siquidem experiẽdo scies.
Quia, Cicero. Vt beate uixisse uidear, quia cũ Scipione uixerim.
Terentius, Qui dum? G. quia tristis es.
Quod incolumis reuerteris gaudeo; &,
Quod incolumis reuerteris.

Quippe, Vtpote, & Vt.

Quippe, quia, & quoniam cum quod referensq́ sequuntur
Vtpote si referens habeat, quarto addere quibis.

Sensus est. Quippe, non mediocriter orationem uenustat, sequente Relatiuo, Qui, Quæ, Quod, Quia, Quoniam, Cum, & Quod.

Plautus,

Plaut. Scibat facturos, quippe qui intellexerat.
Teren. Ego uero laudo, quippe quia magnarū sæpe id remedium ægritudinum est. Quippe quoniam, in multis & sponte desinit.
Quippe cum ea sine prudentia satis habent authoritatis.
Quippe quod etiam Rauennæ Crassum ante uidisset. Non est dissimile utpote, id est, nempe, quando, aut quandoquidem.
Salust. Antonius aberat a bello, utpote æger, ac iacens.

Subiunctiuum habet addito relatiuo qui, quę, quod. Suetonius, Vtpote qui in cellam Capitolini Iouis sedecim millia pōdo auri una donatione contulerit.

Et Cum, etiam particula addita.
Cicero; incommoda ualetudine iā emerseram, utpote cum sine febri laborassem.

Vt, pro utpote, plerunque subiunctiuis adhęret: Terentius, Denique ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam neget daturum.
Plaut. Aesculapij ita sentio sententiam, ut qui me nihil faciat.

Quando, Quandoquidem, &, Quoniam.
Quando, & quandoquidem quoniam primo addere debes.

Sensus

Sensus est: Quando, quandoquidem, & quoniam indicatiuum exigunt: ut,
Terentius, Meus fac sis animus, quando ego sum tuus.
Idem: Deos quæso, ut sit superstes quandoquidem ipse est ingenio bono.
Idem: Quoniam id fieri, quod uis, non potest, id uelis, quod possis.

Submonitio.

Hæc nisi sufficiant, Laurentius plura suppeditabit.

DE FIGVRIS.

Figura est sermonis uitium, gratia necessitatis, cum ratione permissum.

Figurarum aliæ sunt constructionis: Aliæ dictionis, aliæ locutionis.
Figuræ constructionis, de quibus hic tractare constituimus, octo sunt numero.
Appositio, Euocatio, Syllepsis, Zeugma, Prolepsis, Antiptosis, Synthesis, & Synecdoche.

Appositio.

Fixa duo casu simili coniungis, ad unum.
Pertineant, quæ nec coniunctio copulet ulla.

Sensus est: Appositio est duorum substantiuorum

tiuorum in eodem casu sine copula coniũctio, ut Horatius, Et genus, & formam Regina pecunia donat.

Seneca, Dux malorum fœmina, & scelerum artifex.

Sic, Fluuius Armansona. Vrbs Roma.

Submonitio.

Obseruandum autem in appositione, ut uerbum priori substantiuo respondeat, in debitis accidentibus. Ouidius, Quid meruere boues, animal sine fraude, dolisque. Virgilius,

Ite meę quondam fœlix pecus, ite capellæ.

Præterea ut duo substantiua sint eiusdem casus, nec uetat interim quominus genere, & numero dissideant: Virgilius,

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Delicias domini. Sic,

Abstulisti Ciceronem delicias meas.

Euocatio.

Totum sit primę, prima si tertia detur

Sitq́; secunda itidem, cum tertia iuncta secunda est.

Sensus est. Euocatio quæ est tertiæ personæ ad primam, uel secundã immediata reductio, locum habet in oratione cum primæ, uel secũdę personę pronominibus tertia additur; ut,

Ego

Ego Deus tuus viuo.
Dares Antelum prouocas.
Plinius, Tum denique nos homines noſtra intelligimus bona, cum quę in poteſtate habuimus, ea amiſimus. Terentius,
Viden'tu Thais, quam hic rem agit?

Quatuor autem ſunt in euocatione neceſſaria.

Perſona euocans, perſona euocata, abſentia copulę, & uerbum cum perſona euocante, hoc eſt, cum prima, uel ſecunda conueniens.

In euocatione tamen perſona euocans non ſemper exprimitur, ut Ouidius,
Penelope coniux ſemper Vlyſſis ero.
Virg. Non omnia poſſumus omnes.

Etiam ſi ſint diuerſorum numerorum, quod contingit in collectiuis, ut Ouidius.
Populus ſuperamur ab uno.

Et in diſtributiuis, ut idem,
In magnis leſi rebus uterque ſumus.

Obſeruatio.

Quando uocatiuus, uel Tu præcedit, oportet Addatur rectius, proprium niſi forte ſequatur.

Senſus eſt, Subnotabimus hic ex pręſcripto

Laurentij Vallæ, quod quãdo participio uerbi substantiui Ens, expresso, uel subaudito postponitur uocatiuus, uel Pronomen Tu, uocatiuus non debet sequi, sed nominatiuus.
Authoris exempla subijciam.
Aue Cæsar, summus Imperator.
Salue domine, primus omnium pater patriæ appellatus.
Defende me tu Deus, & dominus meus.
Tace tu homo imperitus.
Quod si solum nomen proprium in oratione consisteret, aut etiam cum pronomine, incõgrua esset oratio.
Quid facis hic Seruius?
Quid facis tu Seruius.
Malè item cũ appellatiuo sine pronomine: vt, Adiuua me optimus vir.
Tace imperitus puer.
Bene autem si mutaueris nominatiuum in uocatiuum, Quid facis domine mi?
Tace imperite puer.
Rectè item.
Quid sedes inter dominos seruus.
Ibi enim subauditur Tu, & participium ens, vt sit consensus: Tu ens, uel qui es seruus, quid sedes inter dominos?
Syllepsis.

Syllepsis.

Masculeum reliquis,neutro muliebre praibit.
Prima alijs persona itidem, Ternaq́ secunda.

Sensus est,Syllepsis], quæ Latine conceptio uel comprehensio uerti potest, est indignioris ad dignius mediata reductio:
Est autem duplex: Generum scilicet, & personarum.

Syllepsis generum fit cum adiectiuum duobus substantiuis intermediata coniunctione diuersi generis accommodatum,præstantiori respondet.

Sic ut masculinum præstet fœminino,& neutro,fœmininum tantum neutro,ut,
Hippolytus,& Penelope pudici.
Parasitus,& Scortum impudentes.
Hera,& mancipium rixosæ.
Ouid.Mulciberis capti Marsq́: Venusq́; dolis.
Virg. -Cæsosq́; reportant.
Almonem puerum,fœdatiq́; ora Galesi.
Lucanus,Sunt leges,& plebiscita coactæ.

Quamuis non desint qui dicant Lucani exẽplum monadicon esse,& mendo non carere.

Tum uerò fit personarum cõceptio,cũ duo

singularia interueniente copula plurali verbo iunguntur, quod præstantiori respondeat: Quorum alterum personæ primæ, cogit uerbum eiusdem esse: Terentius,

Hæc neque ego, neque tu fecimus.

Plautus, Meruimus ego, & pater de uobis, & Republica.

Si uero Tu, uerbo addas, uerbum erit secundæ personę. Virgilius,

Et spolia ampla refertis.

Tuque, puerque tuus.

Porrò in Syllepsi quatuor requiruntur potissimum, dictio concipiens, dictio concepta, copulatiua coniunctio, & uerbum, uel adiectiuum pluralis numeri cum dictione concipiente conueniens.

Copulandi uim habet nonnunquam præpositio, cum, ut, Virg. Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt.

Ouid. Ilia cum Lauso de Numitore sati.

In quibus, & similibus, cum particula, sumitur pro Et, ablatiuusq́; resolui debet in casum similem præcedenti, ut,

Quirinus cum Remo, id est, Quirinus & Remus.

Ilia cum Lauso, id est, Ilia, & Lausus.

Syllepsis implicita.

Implicitam dicas cum Substantiua tacentur.

Sensus est, Est & alia Syllepsis, quæ implicita dicitur, fit autem quando substantiua non explicantur, sed in una dictione subintelligitur: ut cum Virgilius de Cupidine, & Venere loquens ait: Procumbit uterque Pronus humi.

Et Ouidius de Phœdra, & Hippolyto.

In magnis læsi rebus uterque sumus.

Et Terentius de Eunucho, & Æthiopissa.

Heus iubete istos foras exire quos iussi ocyus.

Inanimata Substantiua.

Res anima si fortè carent, sit mobile neutrum.

Sensus est: Plura substantiua cuiuscunque sint generis, si res inanimatas significent, ad adiectiuum plurale generis neutri, referri debent, ut,

Quies, & iocus homini necessaria.

Salustius, Diuitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt.

Submonitio.

Hæc autem regula dicitur regula indifferentię quod substantiua possunt esse cuiuscunque generis sine differentia: Virgilius,

Cum Daphnidis arcum.

Fregisti & calamos,quæ tu peruerse Menalca.
Et cum vidisti puero donata dolebas.
Vbi duo substantiua masculina iunxit neutro plurali,ut Salustius duo fęminina.
Nox,& præda hostem remorata sunt

Zeugma.

Proximius uerbum, uel mobile Zeugma tuetur.
Sed magis amotum quando collatio fiet.

Sensus est,Zeugma, quæ est unius uerbi ad diuersos nominatiuos, aut adiectiui ad diuersa substantiua reductio,fit dupliciter, aut cum proximioris substantiui casum , genus, & numerum respicit adiectiuum,ut,
Quærendæ facultates deinde uirtus.Ironia.
Virg.Caper est tibi saluus,& hædi:
Terentius,Vtinam aut hic surdus,aut hæc muta facta sit

Aut cum uerbum duobus nominatiuis effertur,quod propinquiori respondeat,vt Virg.
Silet omnis ager,pecudes , pictæque uolucres,
Plus uident oculi,quàm oculus.
Virgil.Quamuis ille niger,quamuis tu candidus esses.

Submonitio.

Collatio tamen & similitudo sic peruertit ordinem,

ordinem, ut uerbum,uel adiectiuum respondeat remotiori,ut Salust.
Numidas in omnib.prælijs magis pedes quàm arma tutati sunt.
Cicero, Nihilo magis ego quàm uos subsidio Domitio ire possum:Sic,
Melius ego istud quàm uos fecissem.
Hoc ille ita prudenter,ut ego fecisset.
Vel ubi Nisi particula,clausulam subiungit.
Terent.Talem filium nulla nisi tu pareret.
Poetę tamen metri necessitate coacti etiam viciniori coniunxerunt:Virgilius,
-Nihil hic nisi carm ina desunt.
Ouidius, Quid nisi secretæ læsesunt Phillida syluæ.

Prolepsis.

Partitur totum cum uerbo in membra Prolepsis.
Dixeris implicitam cum totum aut membra tacentur.

Sensus est,Prolepsis,quæ Latinè præoccupatio dicitur,Est pręsumptio totius,cui subijciuntur partes:Cum scilicet generalis quędam dictio pręcedit,& rursus in partes deducitur verbo non repetito:Quæ dupliciter fieri solet,aliquãdo enim uerbum præcedit,& dictioni uni-

 uersali

uersali copulatur, ut Virg. Compuleràntq; greges Corydon & Thyrsis in unum.
Thyrsis oues, Corydon distẽtas lacte capellas.
Aliquando verò verbum cum partibus adiungitur, & tunc collectionis dictio præcedere debet, quam semper pluralem esse oportet, aut re, aut significatione, ut, Aquilarum alia volat ab Oriente, alia ab Occidente. Auitij generis aliud terrestre, aliud aquatile.
Est etiam Prolepsis quędam implicita, qua fit cum uniuersalis illa dictio, uel partes non exprimuntur: ut,
Alter alterius onera portate: ubi uos, intelligitur in uerbo portate, partes uerò in alter. Sic, Terent. Curemus ęquam uterque partem tu alteram, ego item alteram, in uerbo Curemus totum, quod est nos subintelligitur, & partes continentur in distributiuo uterque.

Antiptosis.

Pro casu casum pone, Antiptosin habebis.
Non passim, aut cuius, sed parce utenda Poetis.

Sensus est, Antiptosis est casus, pro casu positio: ut, Hęret pede pes, pro hęret pes pedi. It clamor cęlo, pro ad cęlum.
-Tutúmque putauit,

Iam bonus esse socer, pro, bonum esse socerū.

Submonitio.

Antiptosis elegans quidem figura, modò ea cum ratione, & iudicio utamur, in carmine prę cipuè, & cum tanti fuerimus, ut qui ea hactenus sunt usi.

Synthesis.

Synthesis ad sensum potius quàm uerba tuetur.

Sensus est, Synthesis est discrepatio nominatiui à uerbo, aut substantiui ab adiectiuo, secundum uocem tantum, non secundum significationem, ut, Virg. Pars in frusta secant: Teren. Vbi ille est scelus qui me perdidit? Idem, Senium, qui me remoratus est.

Quæ figura in Poetis, & historiæ scriptoribus parcius inserta, nonnihil habet uenustatis: in alijs autem compositionibus, quo rarior, eo grata magis.

Synecdoche.

In quartum aut sextum uerbum uel mobile fertur.

Cum toti partem permissa Synecdocha iungit.

Sensus est, Adiectiuum nomen, uerbum item passiuum, aut neutrum absolutum, & participia ab his deriuata regunt partē totius, vel

subiecti

subiecti in accusatiuo, uel ablatiuo, Virg. Omnia Mercurio similis, uocemq;, coloremq;, & flauos crines.
Ouidius, Grauis uterque domo.
Virgilius, Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
Idem, Micat auribus, ac tremit artus.
Sic, Ager depastus segetes, uel segetibus.
Est autem Synecdoche, quæ Latinè comprehēsio uerti potest, attributio partis ad aliquod totum, sub proprietate uerbi, uel adiectiui.
Totum, est quod ex partibus integralibus constat, ut homo.
Pars integralis, ex qua, & cæteris totum constituitur, ut Anima, Corpus.
Subiectum, cui aliquid, accidit, vt Homo est subiectum scientiæ.
Proprietas, Res quæ alteri accidit, ut scientia.
Sed de hac figura latius inter nomina, & verba etiam in accusatiuum, uel ablatiuū vim habentia.

Enallage.

Pars pro parte locum, si uersio fiat, habebit.
Pro numero numerus, pro casu casus, & ipsa.

Pro

Pro persona alia, & passim pro tempore tempus,
Et modus in uerbis, aduerbia præpositura.

Sensus est, Figuratus est etiam sermo, cum authores aliam partem orationis, pro alia reponunt. Quæ figura Enallage uocatur, mutatio scilicet sine ulla ratione, concinnitatis tantum causa usurpata, ut cum nomen pro aduerbio recipitur, vt,

Sublime uolat Sole recens orto, pro, Recēter, & sublimiter.

Libens faciam, pro libenter.

Pronomen loco nominis.

Non ea vis animo, pro tanta, uel talis.

Verbum etiam loco nominis.

Velle suum cuique est, id est, uoluntas sua.

Participium item pro nomine, idque quatuor modis, de quibus inter participia facta nomina.

Aduerbium pro nomine, ut,

Hinc illæ lachrymæ: pro ex hoc.

Coniunctio pro aduerbio, ut,

Quidem, pro, certè, vel, profectò.

Commutatur interim etiam unius partis orōnis species, vt propria, pro suis possessiuis: Virg. Et Dardana suscitat arma, pro Dardania.

Et

Et proprium, pro adiectiuo, ut

Hector uterque animo, Tullius eloquio.

Positiuus pro comparatiuo.

Terentius, Porrò quia est homo paulò tolerabilis, pro, tolerabilior.

Comparatiuus, pro positiuo, ut

Superior, pro pręcedenti. Posterior, pro sequenti.

Superlatiuus pro comparatiuo, ut

Primum, pro prior.

Vsurpatur & numerus certus pro incerto, Cicero, Sexcenta possim decreta proferre, id est, multa.

Numerus singularis uel plurali.

Pars uolucres factę, de quo in Syllepsi, ut, de casus pro casu permutatione in antiptosi.

Persona item pro persona, ut

Benedicite omnes aquę quæ super cœlos sunt, pro, estis.

Et in uerbis tempus pro tempore, ut

Accedo ad pedissequas, quę sit rogo, pro accedebam, rogabam, uel accessi, & rogaui.

Et modus pro modo, ut

Quiescas, pro quiesce.

Pręterea infinitiuus modus pro præterito imperfecto indicatiui, ut Terentius.

Facilę

Facile omnes perferre, ac pati, pro perferebat, ac patiebatur.
Permutantur & aduerbia, ut Terentius,
Ibi homo cepit me obsecrare, id est, tunc.
Sic, bene, uel male, pro valde. Cicero,
Habetis orationem bene longam.
Terentius, Male mulctabo illos.
Et coniunctiones, ut uel, pro etiam.
Terent. Vel Rex mihi semper agebat gratias.
In præpositionibus etiam, sed per parallagen de qua inter figuras poemati frequentes, in Libello nostro Quantitate syllabarum.

Eclipsis.

Omnibus Eclipsis communis partibus aufert.
Corpore de toto modicum nec inutile membrum.

Sensus est, Eclipsis, quę est necessariç dictionis defectus ad legitimam orationis structuram frequens est, nec inuenusta tum Poetis, tum Oratoribus, per quam non casus tantum, sed & omnes orationis partes subaudiri solent, ut doctissimè collegit Thomas Linacer Britannus.
Primo enim desideratur nomen. Terentius,
Vbi ad Dianę veneris.

Horatius, Ventum erat ad Vestæ:
In quibus subauditur Templũ, uel ædes sacra.

Via etiam in his.

Terentius, Cur non recta introibas.
Postridie ad anum recta pergit.

Partes item, ut,

Primas tenet apud regem:
Non posteriores illi concederem.

Febris, ut,

Laborat tertiana, quartana, quotidiana.

Sermo, aut uerbum; ut,

Quid multis moror?
Quid pluribus opus est?

Supprimuntur, & uerba sæpius in oratione. vt, Quorsum istud? Quorsum hęc? ais subaudi. Quid tibi cum illo? est, subaudi: Sed de his hactenus: Prudenter Fabius: Dixit, Subaudi Dij meliora: Supple, velint.

Desiderantur & participia non sine gratia: Cicero, Occupationum mearũ, uel hoc signũ erit, quod epistola Librarij manu est, ubi scripta, subauditur.
Terentius, Quo pacto è iure hesterno panem atrum vorent, intelligit Donatus, uel maceratum, uel emollitum, aut madefactum.

Desunt

Desunt & præpositiones in oratione p Eclipsin: Tertio nonas, uel Kalendas: pro ante nonas, aut Kalendas.

Vereor ne exercitum satis firmum habere possit: pro, Ne non.

Et per asyndeton, & dialyton coniūctiones: Virg. Ferte citi ferrum, date tela, impellite remos. Cicero, Abijt, excessit, euasit, erupit.

Desiderari etiam uideas ut, uel quod, præcipuè post uerba: uolo, nolo, malo, precor, rogo: vt, Volo scribas.

Velim nos facias certiores.

Prętereа post oportet, necesse est, & licet: Cicero, Hominem occidat oportet.

Et post Puto, reor, credo, opinor, fateor, & similia: Non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepisti.

Vt autem desiderantur quædam in oratione, sic & redundare quędam etiam uidemus ut Genitiuum loci, Terentius, Te interea loci cognoui. Cic. Tu abes longè gentium.

Et datiuum mihi, tibi, sibi.

Mihi gloriatur se omnes honores sine repulsa obtinuisse.

Ecce tibi Pompeius noster:

Et genitiuus eius, post particulam quoad


pro-

pro quantum: Cicero, Oratoris officium, eſt de omnibus rebus poſſe dicere, quoad eius fieri poterit.

Submonitio.

Plures & eclipticas, & enallagicas formulas ſtudioſo cuique adoleſcenti ſuppeditabit uaria ſcriptorum lectio, quas qui cum Thoma Linacro ad communem utilitatem collegerit, nõ inutilem fortaſſe laborem ſuſcipiet, dictionis uerò, & locutionis figuras conſultò hic prętermittimus, quod huius compendioli grammatici rationem excedere uideantur, & ad Oratores Poetasque magis pertinere.

FINIS.



DE PROSODIA, ET VERSVS COMPONENDI RATIONE, LIBELLVS;

Auctore Thoma Corraea.

AD D. ALFONSVM AVALVM, & Aquinatem Marchionem Istonij,

D. Ferdinandi March. Pescariae, & Siciliae prorege, F.



VM in studijs, quae ad humanitatem informant aetatis meae bonam partem posuissem, spei optimae princeps, & auitae laudis, & gloriae aemule ALFONSE,

caepi tunc mecum ita ſtatuere, nõ eſſe tanti facienda artis praecepta, ſi noua,& acuta,quanti ſi utilia, & ad finem conſequendum fierẽt accommodata. Et ut alias artes omittam, eam, quae aditum ad cæteras patefacit, nec diſtinctè, nec perſpicuè, nec breuiter explicare ab ijs, qui ſe Grammaticos haberi uolũt animaduerti; Et in quauis parte illorum iudicium deſideraui. Nam cum omnes leges Grammaticae ſint ſtatuendae, uſu & auctoritate principum in ea lingua, de qua agitur,auctorum,& ad rectam,& puram locutionem ſint referendae, ſtulte ſanè facere mihi ſunt uiſi ij, qui ex ſuo ſenſu multa depromant, & colligendis ijs, quibus uel aliorũ placita euellant, uel nouas opinio-

nes

nes inferant omnem diſputationē concludant, quid utilitas diſcentium exigat, quid doctoris officium poſtulet, quid ars, & artis finis requirat, non attendunt. Enimuerò ſi quam bonum fatū eſt ſortita multorum induſtria, qui in dies illi de ſuo largiuntur nouas commentationes, ita ueris praeceptis ornaretur, uno, uel altero libello eſſemus contenti, nihil eſſet praeterea quod in hoc genere requireremus. Sed ita forte euenit, ut nulla in arte plures libri ſint editi, in nulla uero longius a fine aberrent. Hinc fit, ut prius conſeneſcamus, quam ijs laqueis, quibus nos Grammatici implicauerunt, poſſimus extricare. Quod cum animaduerterem, retuli ani-

mum ad eam partem,in qua mihi plus operis, & utilitatis nõ parum ineſſe uidebatur,& ex uſu ueterum collegi, quae ad Proſodiã ſpectare putaui. Atque hanc potiſſimum ele gi,quia cõmentor de poematũ generibus cogitationes meas explica re, haec uero aditum aperit ad ea penitus cognoſcenda. Secutus ſum breuitatem,quia amat moderatum ſtudium, qui in quauis arte inſudat, & uiam facilem requirit. Addi di nonnulla, quae mihi neceſſaria uidebantur, & cum uiris doctis cõ tuli,rogatu amicorum edere cogitaui. In cuius nomine haec per exigua induſtriae ſignificatio apparere deberet, non ſtatuebam; Cogitãti ueteris familiae ueſtrae ſplen dorem, tu in mentem ueniſti, cui

diligentiae meae fructum dedicarem. Nec forte iniuria. Nam cum fortes creentur fortibus, & bonis, & in studio armorum tibi est elaborandum, & in spatijs doctrinae consistendum, ut laudes familiae nobilissimae non solum adaequare, sed etiam amplificare uidearis. Bonitatis est munus in seipsam intueri, ad sese omnia conuertere; Deinde uero omnem doctrinam amplecti; & qui utramque partem coniungit, cum diuina bona dicimus esse consecutum. Et quoniam in uitam principum uirorum omnes conijciunt oculos, seq; ad illorum similitudinem fingunt, utrũque coniungere debent principes, ut eorum uita alijs sit adiumento. Tu cum eo loco sis natus, ut in te

alij oculos debeant conijcere, & a te petere leges uiuendi, ut Bonitati maiorum tuorum respondeas, & studium armorum, & doctrinae debes amplecti. Vtriusque enim scientiam, non aliunde, quam ex uestra familia debes haurire. Quocirca excita ipse te, & cogita, quid in hac familia ortus promittas. Nihil tibi in ullo genere extrinsecus est petendum, si animum ad tuos cōuertas. Recordare enim in doctrina magnum illū, & angelicum doctorem D. THOMAM Aquinatē, lumē, & ornamentū familiae uestrae, in militari sciētia ALFONSVM Aualum auū tuū, & ad eorum imitationem totum te finge. Cogita, quod fuerit eorum ingenium, contentio, doctrina, usus rerū, quae in

pace

pace,iuſtitia,in bello uirtus,in omni uita moderatio, & iam nihil ad domeſticam gloriam deſiderabis. Petant alij ex hiſtorijs exempla uitae,tu domo ne egrediaris, intuere tuos, uidebis nō ſolum Neapolim patriam ueſtram, ſed omnes plane oras,& ſinus maiorum tuorum uirtutes praedicare. Conuerte animū ad patrem, quem ita omnes ſuſpiciunt prudentiae,iuſtitiae,moderationis, fortitudinis,comitatis laude praeſtantem, ut eius gloriae domicilium non Italiae, aut Hiſpaniae finibus circumſcribatur, ſed permeet ad gentes barbaras, uerſetur inter hoſtes, floreat,uigeat,ad caelum euehatur. Sed ego ne tuis auribus inſeruire uidear, tantum dicam praeclare cum Sicilia pro-

uincia actum esse, cui talis, ac tam diuinus ille praetor sit praepositus loco Catholici Regis. Quod si tua mens aliquando egredi domesticis parietibus uolet, nihil tibi sit prius, quam ut ad Illustrissimum auunculum tuum animum, cogitationemque referas. Cum enim merito uirtutis cuiusdam incredibilis collegio patrum purpuratorum ascriptũ uidebis Cardinalem, & dignitatis gradu dignissimum, in quo tu uirtutem magis, quàm insignia uirtutis suspicies, putabisque eum honorẽ non praemium, sed pignus ad maiora esse propositum. In eo uero comitatem, lenitatem morum, mãsuetudinem, continentiam, modestiam, uirtutum omnium reginam Prudentiam momento suo expendes.

des.

des. Quem etsi intuearis optimorū uirorum stipatum cohorte, multo tamen insigniorem uidebis uirtutum maximarum ornatum caetu pulcherrimo. Omitto alios quorū sunt sexcenti illustres uiri, & foeminae in familia uestra, hos tu duces sequere. Vbi uero animum ad Romani sermonis splendorem appuleris, hunc nostrum libellum habebis, qui tibi ad poeticam, hoc est ad diuinam sapientiam patefaciat. In qua magnam illam IsabellāPeschariae Marchionissam eo processisse uidebis, ut non modo huiusce aetatis Poetarum gloriam adaequet; sed ueterum etiam concedat penè nemini. Has ergo lucubrationes nostras excipies ea comitate, quae est propria familiae uestrae, & hanc obser-

obſeruantiae in te, tuoſque meae ſi gnificationem aequi, & boni conſules. Quoties uero hunc libellum euolueris, toties tibi ueniet in mentem is, qui ut aetatulae tuae laborẽ minueret, iucundum ſibi putauit, ordine, & uia facili totam hãc Proſodiae rationem inſtituere. Ego uero tuam humanitatem ſtudio, & beneuolentia proſequar. Te interea Deus Optimus Maximus ſoſpitet, & fortunet, ut optimorum parentum optatis, & uotis uirtus tua poſſit magna cum tua gloria ſatiſfacere.

PRO-

PROSODIAE, ET VERSVS COMPONENDI RATIO;

Auctore Thoma Corraea.

Ad amplissimum Marchionem Istonij, D. ALFONSVM Aualum, & Aquinatem.

DE PROSODIA.



ROSODIA est pars Grammatices, germanam cuiusque syllabę quantitatem explicans. Nã cum syllabę efferantur diuersa ratione,& accentu propter tempus, & spiritum, quæ continent probatorum auctorum consuetudine, & usu ęstimanda est quantitas illius, ut quoniam nulli genti, & nationi lingua Latina est propria, qui

qui illius candorem,& puritatem exoptamus, ab illis fontibus efferendi normam haurire debemus. Qua industria duo assequemur, tum ut rectam pronuntiandi rationem teneamus, tum etiam ut uersuum principia perdiscamus, quò & modulatè singula uerba proferamus,& Poetas diuino quasi numine afflatos,spirituq; impulsos imitemur. Cum enim carmen cōstet pedibus,pedes uerò syllabis: necesse est syllabarum quantitatem tenere,ut quę hos,uel illos pedes ingrediantur, noscamus, ut pedum beneficio carmen cōficiamus. Nec uero pedes solum sunt necessarij ad carmen componēdū, sed ad numerosam quoque orationem,& concinnam requiruntur. Vnde apparet quàm sit necessaria ea ars,& doctrina, qua leges syllabæ cuiusque continentur. sed hoc loco illæ breuiter sunt explicandæ, ut pedum genera pernoscamus,atque denique uersuū formas. Ac primo de syllabis.

De Syllaba.

SYllaba uero est elemētum sub accentu cōtentum. Nam malè Grammatici definiunt esse comprehensionem duarum,uel plurium literarum sub uno accentu,& spiritu indefinenter prolatarum. Nam hac ratione uocales syl-

labæ

labæ non essent, quæ uerè, & propriè sunt syllabę, & syllabarum quasi parentes, ut,

I, sequere Italiam uentis, pete regna per undas,

O Meliboee Deus nobis hæc ocia fecit.

Nec uero numerus syllabarum facit ad syllabam, quoniam hoc modo stirps, scrobs, esset magis syllaba quam ad, de, quod dicendum non est. Nec addendum fuit, prolatarum, cum & scribi, & in mente haberi possint, & tamen sint syllabæ. Fit itaque syllaba uel una, uel pluribus literis, & fit beneficio uocalium, quæ solæ breues, uel longæ sunt, non consonantes, quæ nec corripiuntur, nec producũtur. Ideo enim necessariæ fuerunt uocales, quia sine illis non intelligebatur quantitas. Faciunt tamen ad cognoscendam quantitatem syllabę consonantes. Vocales dicuntur, quod per se pronuntiari possint, consonantes autem quod una cum uocalibus sonent. Sunt autem in sermone Latino literæ (teste Marco Tullio secundo de Natura Deorũ) numero 21. uocâle quinque, consonantes reliquæ. Fiunt etiam duę uocales, i, & u, consonantes interdum. Primum quoties in uocales incidunt, ut iaceo, ieçur, uenus, uado, uanus, uotum. Secundo etiam quo-

ties in seipsas recidunt,ut conijcio,abijcio,uul gus,sæuus. I, quando est consonans posita inter duas uocales uim duarum consonantium habet,ut peius,maius,aio,cuius V post q,liquescit,uix ut retinere uiam suam uideatur. Post g & s aliquando liquescit, ut lingua, suadeo. Aliquando retinet uim suam,ut arguo, ambiguus,suus, suo,ut Quinctilianus auctor lib.1. cap.6. I Ciceroni uocalibus iuncta duplex scribebatur,ut aijo,Pompeijus. In dictionibus Latinis usque ad senas literas syllabam ingrediũtur,ut A,at,ars,fons,glans, scrobs. Syllaba est triplex, longa, breuis, communis, & tales dicũtur esse ratione temporis quod habent. Est autem tempus in syllaba illa mora, quæ insumitur in pronuntiando, & quoniam tardius aliæ, aliç citius efferuntur dicitur unum, uel duo tempora in Syllaba esse,& ratione temporis longa uel breuis.

Syllaba longa dicitur, in qua sensim pronuntianda duo tempora impenduntur, ac si dupli ci scriberetur uocali, ut faama pro fama,reepo,pro repo,maalus pro malus. Nam quoniã ueteres eo modo scribebãt, quo pronũtiabãt, longas duplici uocali afficiebant,qđ uim duarum obtinerent,ut poono,maater. Hac tempe

 state

ſtate ea percrebuit barbara offerendi conſuetudo, ut nullum diſcrimen intelligamus inter breuem, & longam, cum in breui curſim, in longa ſenſim debeamus immorari pronuntiando. Quæ res efficit, ut quid interſit inter accẽtum circumflexum, & acutum minus intelligatur, & longè alio modo efferamus, quàm ueteres. Nam illi, Roma, audientes an ſexti, an uero recti caſus eſſet, intelligebant ex accẽtu, & malus an improbus, an nauis arbor. Syllaba breuis eſt, in qua curſim proferenda unum tempus abſumitur, ut domus, labor. Syllaba communis eſt, quę modo longa, modo breuis reperitur, ut Diana, ut, exercet Diana choros. Alma Diana faue. Connubium, ut

Connubio iungam ſtabili, propriamq́ue dicabo.

Per cõnubia noſtra, ꝑ inceptos Hymenęos,

Syllaba quæ uno elemento abſoluitur ſemper eſt longa, & ſunt priores quatuor uocales: A, E, I, O, nam V, nunquam reperitur ſeparata, ut

A Ioue principium Muſæ, Iouis omnia plena.

Vix è conſpectu ſiculæ telluris in altum.

I, decus, i noſtrum, melioribus utere fatis.

O Meli-

O Meliboee Deus nobis hæc ocia fecit.

Quoties autem Syllabam ingrediuntur plures literæ, tunc syllaba uel prima, uel media, uel ultima est, ut in hac dictione Minerua. Mi est prima, ner media, ua uerò ultima. Prima syllaba in dictionibus plurium syllabarum est unica, unica item ultima, media plures esse possunt. Monosyllaba dictio inter ultimas recensetur. Quando igitur in ijs quærimus quantitatem, petimus quanta est ultima, penultima, antepenultima, quarta a fine quinta, & sic de cæteris, ut in hac dictione Amphitrioniades, es ultima est, a penultima, ni antepenultima: o quarta a fine: tri quinta; phi, sexta; am prima. Cum igitur uocalium caussa dicuntur syllabæ quantę, quoties illæ quatuor per se inueniuntur, sunt longæ, quoties cum consonantibus ancipites, quoniã mutato loco mutatur quantitas. unde necesse est leges quasdam certas habere, quarum beneficio quanta quæque & quouis loco sit intelligamus. Et ideo uidendum est, quanta quęque uocalis sit in primis, medijs, ultimis, ut inde ad pedes, denique ad uersuum rationem delabamur.

De modis cognoscendi quantitatem in Syllabis.

QVanta queuis sit uocalis, & quouis loco cognoscitur septem modis, uocali ante uocalem, diphtongo, positione, compositione, deriuatione, præpositione, & canone.

De primo modo qui est in uocalibus simul copulatis.

QVoties in Latinis dictionibus uocalis est ante aliam uocalem, prior est breuis, ut pius, Deus, iustitia, religio.

Exceptiones.

SEd hinc excipiuntur primo secundi casus antiqui nominum primæ, ut aurai, aulai, ubi uocalis ante uocalem longa est. Et secundi, & tertij nominum quinctę, ubi e, ante ultimum i, longum est, diei, speciei, materiei. At spei, fidei, rei corripit.

Secundo i, ante uocales in fio longum est, nisi post ipsum e, fit r, ut Fīo, Fīam: fiēres fiēri.

Tertio nomina, & pronomina habentia secundum casum in ius, penultimam habent in uersu communem, ut solīus, totīus, illīus, ipsīus, At alter penultimam semper corripit. Alius uerò perpetuo producit, ut alīus. Quarto ohe

uariatur,eheu producitur. Quinto hæc nomina habent uocalem ante uocalem communẽ, Maria, Academia, chorea, platea, Rhomphea, Malea promontorium, Diana. Nomina Barbara, & Peregrina liberè hoc, uel illo modo efferre possumus. Quæ uerò ueteres usurparunt ea nos mutare non decet.

De Græcis usurpata à Latinis cum uocali ante uocalem longa.

Ε, ante alias.

LAertes, Thais, Menelaus, Archelaus, Michael, Raphael, Taygete, Amphiarāus, Capharnāum, āer.

E, ante vocales.

Vt Deiphobus, Deianira, Cadmēus, spondēus.

I, ante uocales.

ORion, Dius, Dia, Dium, Amphion, Darius, Argia, brauium, Thalia, Elegia, Ironia, Litania, ac denique finita in ια omnia, quando in Græcis est ει diphthongus, ut Troilus, Argous, Eous, & similia, ubi ω magnum est. Græca per iota scripta penultimam corripiunt, ut philosophia, harmonia, sed de accentu postea.

Secundus

Secundus modus de diphthongo.

E Vocalibus in seipsas, coeuntibus fiunt diphthongi: Nam diphthongus est geminus unius syllabę sonus. Sunt Latinis frequentes quatuor, ae, au, eu, oe: audeo, prętor, euge, cœlum. Est etiam in nominibus tertiæ habentibus patrium casum in ium, in quarto casu ei. Quę ut Aulus Gellius est auctor lib. 13. c. 19. à ueteribus pro i, usurpabatur, iudicium auriũ sequentes: unde apud Poetam.

Vrbis ne inuisere Cęsar.

In Harpyia fit etiam diphthongus ex y & i.

Regula.

OMnis diphthongus tam in dictionibus Latinis, quàm in Gręcis longa est o. fœdus, ętas, ęquęuus, Alexandria, Aeneas, idolatria. In nominibus Latinis diphthongus in compositione corripitur, si post eam sequatur uocalis, ut pręoccupo, pręeo, pręesse.

Tertius modus Positione.

POsitio dicitur quoties post uocalẽ sequuntur duę consonantes, aut una uim duarum continens in eadem dictione, aut etiam quoties in eadem est una consonans, altera sequitur proximè, ut ramus uiridis uideatur.

Quoties item in proxima dictione post uocalē breuem sequuntur duę consonātes, illa longa habenda est positione quod tam multa exempla Virgilij, probatorumq; poetarum docent. Nam quod Grammatici id uel licentiæ adscribant, uel cæsuræ, homines uidelicet ignari veteris candoris, & uenustatis, credendum non est tam multos uersus licentia posse excusari.

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros:
Immane stridens agitur cerebroq; coacta.
Tribulaque, trabeæq;, & iniquo pondere rastri.
Æstusque, pluuiasque, & agentes frigora ventos.
Eurique Zephyrique tonat domus.
Lappęque tribulique interq; nitentia culta.
Primoque Xantoq; sigeaq; Phillodoceque.

Tibullus.

Pro segete spicam, pro grege ferre dapem.
Liminaq; laurusq; Dei, totusq; moueri.

Namq; post l, producitur, quod apud Gręcos, ex quo fonte ratio omnis uersuum manauit, uocalem præcedentem producat: Vel ob tempora quæ ponuntur in diphthongo, cum litera grauissima l, duo tempora, & tonus quidam est laurus.

Vim duarum habent x,z,i. posita inter duas vocales.

Regula.

OMnis syllaba, quæ positionem habet longa esto, vt virtus, tollo, concinnus, eius, dixi, Ariobarzanes.

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in vmbra.

Exceptio.

SEd quoties post uocalem muta cum liquida copulantur, syllabam in soluta oratione corripiunt, in uersu ancipitem faciunt, ut lugŭbre, uel lugūbre, latĕbra, & latēbra, emĭgro, vel emīgro.

L, & r, frequenter mutas consecutæ liquescunt, quòd si non liquescant syllaba longa erit positione, ut obruo. M, & N, in dictionibus Græcis solùm fiunt liquidæ, idque rarissimè, ut Progne, Cygnus, Tormessa, Toramne. In his dictionibus, est natura longa, & ideo nunquam potest corripi; ut Theatrum, dolabras, simulacrum salubris, lauacrum, candelabrum, delubrum, uolutabrum, uelabrum. uentilabrum, psilothrum, matris, quia a māter est, longa natura est, sed illa positio ubi post vocalem unius syllabæ in proxima sequūtur duæ

consonantes est ad arbitrium componentis longa,uel breuis,ut ponite spem Danai.

Quartus modus de compositione.

QVanta fuit syllaba in simplici, tanta est in composito. Prælĕgo,quia lĕgo, redūco,quia dūco,redămo,quia ămo. Estq; hic modus perutilis ad cognoscendam etiã simpliciũ quantitatem, ut si nescias facio quantam habeat priorem,compone,& intelliges facile perfĭcis,refĭcis,ergo facio breuem habet quia compositum simplicis quantitatem retinet. Ita pĕto quia expĕto, repĕto. pōno quia compōno. Pŏtens quia impotens.

Exceptio.

HÆc à longis composita corripiuntur. pronŭbus, pronŭba à nūbo. connubium variat. Deiĕro,peiĕro à iuro. Agnitum,cognitum à nōtum. Caussidĭcus,maledĭcus, fatidĭcus, à dico.nĭhilum à nī & hilum.

Appendix.

IN priori parte cõpositionis corripitur,ut pestifer,omnipotens,armisona,tricuspis, tridẽs.

Appen-

Appendicis exceptio ubi producitur i.

TIbīcen plerique, matricida, merīdies idem generis masculini, biduum, scilicet, ilicet, prīdie, postridie, ubique, ubilibet, ubiuis, Gradiuus.

Secunda Appendix.

INtelligendum est i, in compositione corripi in recto, & cuius in recto, & in alijs casibus. Non tamen similis compositio habet locum in obliquis, ut tantīuis, quantīuis.

Tertia Appendix.

QVoties prior pars compositionis definit in e, illud cōe erit, ut rarefacio, calefacio, liquefacio, sed in his breue est e, ĕquidem, huiuscĕmodi, cuiuscĕmodi, & in quibus, ne particula negantis præponitur, ut nĕqueo, nĕfastus, nĕfandus, nĕfas, sed nequidquam, veneficus, & nequam prōducunt.

Quinctus modus de dēriuatione.

TAnta est syllaba in deriuatiuis quanta fuit in primogeneis uocibus, à quibus depēdet, ut păternus, quia păter, ămor ămabilis ab ămo, dŏminus a dŏminor, rōsidus à rōre.

Prima exceptio producentium primam cum primogeneam corripiant.

ITalia ab Italo, iucundus a iuuo, iugerum à iugo, Ceritus à Ceres, bini à bĭs, deni à decem: fĕralis, fĕronia, fĕriari à fĕro. fomes, fomentum à fŏueo. Gradiuus à gradu, iūnior à iuuenis. Lāterna a latĕo, pēdor à pede, Pĕtus a pĕto, Prīamides a Prĭamo, Rapa, rapum a răpio, rēmus a rĕmeo, item rēmex, remigo, rēmigium, rete a rĕtineo, rēgula a rĕgo, sēcius a sĕcus, sēdes a sĕdeo, sīcelis a ficulus, trīmus a tribus, vōmer a vŏmo, ambītus ab ĭtum quando est participium.

Secunda exceptio corripientium primam, cum primogeneam producant.

ARista, rena, ab āreo, lūcerna a luceo, ăcerbus ab ācer, bŭbulus a būbus, dĭcax a dīco. lŏtium a lōtu, mănus a māno, nŏto a notu, ŏdium ab ōdi, perfĭdus a fīdus, săgax a sāga, stabulum, stabulis a stātu, sŏpor a sōpio, vădum a vadendo, vĭtium a uīto,

Appendix.

QVo facilius vim huiusmodi intelligas, & vtilitatem, obseruanda tibi est analogia,

siue proportio. In quibus enim illa attenditur, & quantitas est spectanda, ut in omnibus temporibus cuiusque modi, quæ pendent a præteritis indicatiui præsentis, a supinis, ut initum est prælium quia tum.

Sextus modus de præpositione.

PRæpositio in dictionibus, quas afficit, hoc modo quanta sit cognoscitur, A, E, De, Di, Pro, se, producuntur ut amitto, educo, depono, diuello, protraho, seligo, præter dirimo, & disertus.

Exceptio.

SI post præpositionem longam uocalis sequatur, lex uocalis ante uocalem obseruetur, ut deamo, deorsum. Hæc etiam composita cũ pro corripiũtur, profanus, profugus, profestus, profari, profecto, proficiscor, profiteor, profugio, profundus, pronepos, proneptis, propero, proteruus. Hæc habent communem prologus, propino, procuro, profundo, propello, propago uerbum. Propago, si progeniem significat, corripit, si uitem producit.

Re in compositis breuis est, ut reduco, remitto, sed refert pro interest producit. Interea etiam Poetæ ratione uersus addunt aliam consonan

tem,

ſonantem, ut poſitione producatur. ut rettulit, repperit, relliquię, reppulit.

Appendix.

RElique præpoſitiones ſiue in uocalē, ſiue in ſimplicem conſonantē deſināt, breues ſunt, ut ŏmitto, antĕpono, ădigo, sŭbeo, ĭneo, pĕrago

Septimus modus de canone.

PRæteriti, ſupini, nominis, verbiq; cremēti, quantitas mediæ, & ultimæ ſyllabæ, quoties nullo illorum, qui ſunt expoſiti modorum cognoſcuntur, obſeruanda erit his, quæ ſequuntur, legibus.

Canon primus de præteritis.

OMne præteritum duarum ſyllabarum priorem habet longam, ut vīdi, mōui, nōui, lēgi, vēni.

Exceptio.

SEd à bibo, bibi, a do dedi, a findo fĭdi, a ſcindo ſcĭdi, a fero tŭli, a ſto ſtĕti corripiunt. Intellige ſemper ſuperiores leges priores habendas eſſe, ut rui, alui, imbibi, contuli.

Canon ſecundus.

AVi, eui, iui, in præteritis penultimam producit,

ducit, Amāui, dimicāui, olēui, delēui, petīui, audīui.

Canon Tertius.

OMne præteritum syllabam geminans eandem & proximam corripit, ut tetigi, cecidi, pepigi. Sed cecīdi a cædo penultimam producit, & pepēdi à pedo.

De Supinis Canon primus.

OMne supinum dissyllabum priorem producit, ut nōtum, mōtum, lōtum.

Exceptio.

Cĭtum a cieo secundæ, datum a do, itum ab eo, quitum ab queo, rutum à ruo, ratum à reor, sĭtum a sino, satum a sero corripiunt. Composita a sto. in itum etiam corripiuntur, ut præstitum constitum.

Canon Secundus.

SVpina in tum uenientia præteritis in āui, ēui, īui, habent penultimam longam, ut amatum, prędicatum, deletum, repletum, petitum, auditum.

De Cremento ac primum nominum.

CRementum est additio unius, aut plurium syllabarum in nominibus, in casibus obli-

quis,in uerbis,in alijs personis præter quam in prima, & secunda præsentis indicatiui,sed ultima iudicanda erit ultima nominis , uel uerbi antequam haberet crementum.ut sermonibus duo habet crementa,mŏ & nĭ. In nomine aliud est crementum singulare,aliud plurale.

De Cremento secunda declinationis.

NOmina in er,ir, ur, habent crementũ breue,ut puĕri,socĕri,genĕri, viri, saturi, sed producit Hibēri.

De Cremento tertia.

DEsinentia in a,habent breue crementum, ut poĕmatis,diadĕmatis.

Terminata in e,habent longum,ut monīlis,altāris,focālis.

Finita in o,quæ patrium habent in ōnis,& enis longum,ut latrones,nebulones,Anienis.In inis breue,ut uoraginis,vertiginis.

Exceptio.

HÆc propria in onis corripiunt, Britŏnis, Saxŏnis,Macedŏnis.

Cadentia in E,& D, producunt crementum, ut Halēcis,Melchisedēcis,Dauidis, & Bogudis corripit.

Plexa in al masculina corripiunt, ut Salis, Han-

Hannibālis, Asdrubālis, & neutra producunt, ut ceruicālis, vectigālis.
In el producunt, ut Michaelis, Gabrielis.
In is corripiunt, ut pugĭlis, mugĭlis.
In ol, solus est, sol longum, sōlis.
In ul corripiunt, ut præsŭlis, consŭlis.
In an producunt, ut Titānis, Pæānis.
In en corripiunt, ut luminis, fulminis, præter, ren, splen, lien, siren.
In is producunt ut Delphinis, salaminis.
In on Græca, quæ per magnum ω scribuntur, sunt longa, quę per o paruum, breuia, ut Agōnis, Babylōnis, Damōnis, ut Agamemnŏnes, Amazŏnes, Iasŏnis.
In ar producunt, ut Calcāris, coclearis, at propria corripiunt, ut Cæsaris, Amilcaris. & hęc iubar, lucar, bostar, nectar, lar, & par.
In er corripiunt, ut Vbĕris, pipĕris, carcĕris, sed hæc producunt Ver, Hiber, & Gręca, ut Cratēris, charactēris, præter aer, & æther.
In or producunt, ut caloris, mœroris, soporis, sed hęc corripiunt arbor, sequor, marmor, tricorpor, memor, & Græca propria, Castŏris, Hectŏris, Nabŏris, At ador habet communem.
In ur, corripiunt, ut guttŭris, murmŭris, Roboris, Eboris, sed producit fur.

In as producunt, ut honeſtâtis, poteſtâtis, præter anas, mas, uas uadis, & Græca in adis, ut lãpadis, Palladis.

In es corripiunt, ut militis, palmitis. Hęc producunt locuples, interpres, quies, merces, hęres, & Græca in etis, ut Chremētis, magnētis, tapētis.

Is quando habet idis, corripit, ut cuſpidis, iaſpidis: quando itis producit, ut Samnitis.

Et inis ab is, & in, longa eſt, ut Salaminis, Delphinis. Eris breue, ut pulueris, & inis Latine, ut ſanguinis.

In os producunt, ut floris, nepotis. At hęc corripiunt bos, compos, impos.

In us corripiunt ut frigoris, muneris, temporis: monoſyllaba producunt: ut mus, tus, & habentia utis, ut iuuentutis, ſalutis, & comparatiua in us, ut peius peioris, & in udis, ut incudis, & tellus.

Quæ in duas exeunt conſonantes, crementum habét breue, ut chalybis, ancipitis, hiemis, hęc producunt hydrops, cyclops, plebs, ſeps. Caput cũ compoſitis crementũ habet breue, capĭtis.

In ax producunt, ut rapacis, feracis: hæc corripiunt ſtriax, fax, panax, opax, anteax, ſtorax, ſmilax, pharnax, abax, colax.

In ex,

In ex, corripiunt ut uindicis, culicis. Sed hæc producunt, uibex, lex, ueruex, rex.
In ix, producunt ut adiutricis, genitricis. Sed hæc corripiunt calix, pix, larix, salix, coxendix, filix, silix, mastrix, uarix, fornix, nix.
In os producunt, ut uelocis, solocis, sed hæc corripiunt Allobrox, Cappadox, præcox.
In ux, corripiunt ut coniugis, traducis, reducis. hæc producunt, lux, frux, Pollux.
In yx, corripiunt ut Phrygis, Erycis. Producunt uero bombyx, sandix, bebrix.

De Cremento pluralis numeri.

A, E, & O, in cremento plurali nominum primę, secundæ, & quinctæ declinationis producuntur, vt Musarum, seruorum, dierum.

I, & V, in cremento plurali nominum tertiæ, & quartæ corripiuntur, ut sermonibus, matribus, sensibus, artubus.

Appendix.

PRonomina, & participia in cremento nominis intelliguntur & eisdem comprehendun tur legibus.

De Cremento Verbi.

CRementum verbi intelligendũ est fieri quoties plures syllabas illud recipit, quã erant

in ſecunda perſona ablato s,domas domamus, domabamus. Quòd ſi uerbum careat ea perſona,fingendum erit,ut in largior fingamus eſſe largio largis,unde largiebar, largiebamini, largiris. At etiam in uerbis paſſiuis crementi ratio ad actiua reuocanda eſt, ut amor amaris. In deponentibus, & communibus (ſi quæ tamen iſta reperiuntur)fingenda erit uox actiua, ut amplecto amplectis, unde amplecteris amplectebar,quia legeris, quia legebam. Poteſt autem uerbum quadruplex crementum capere, ut audio, audis, audiebam,audiebamus, audieramus, audiebamini. Primum crementum dicitur uocalis, quę fuerat ultima ſecundæ perſonę, proxima ſecundum: hic proxima tertium, quarta denique antepenultima quoties uerbum tot crementa recipit.

Canon primus de cremento Verbi.

A In omni cremento longa eſt,amamus, legamus,ſed ſolum excipitur primum crementum a do,cum ſuis compoſitis primæ, ut dabam,uenundabam,circundabam,in ſecundo uel tertio cremento a longum eſto, ut dabamus,circundabamus.

Canon secundus.

E, Quoties non sequitur post R, longa esto, ut amēmus, docēmus, legēmus. Quādo uerò sequitur R, si sit tempus præsens tertiæ cō iugationis tam passiuę, quàm actiuæ uocis cū præterito imperfecto optantis, & subiungentis modi E, est in primo cremento correpta, legĕris, legĕre, legĕrē, legĕrer. E ante rā, rim, ro, in omni coniugatione corripitur, amaueram, amauerim, amauero, docuero, audiueram. Nec solùm de primis personis intelligas, sed de omnibus utriusque numeri horum temporum.

Appendix.

BEris, & bere corripitur, ut amabĕris, docebĕris.

E in tertijs personis præteriti perfecti indicantis modi producitur, ut amauerunt, uel amauere. Item in futuro indicantis modi, ut legar legēris, audiēris.

Re ante re, uel ris in optanti modo, & subiungenti, ut amarēris, docerē. is.

Appendix.

POetę sua licentia aliquando E in penultima prętertiti modi subiungentis corripiūt, ut obstupuit, stetĕruntq. comæ, & uox faucibus hæsit. Postquam Aediles emĕrunt.

Canon tertius.

IN primo cremento uerborum quartæ sem per producitur, ut audimus, sancimus, īmus, esurīmus.

In præterito tamē uenīmus corripitur. In alijs corripitur, ut legimus, docuimus, amauimus. Rimus, & ritis, Poetę producunt, ut amaueritis in præterito perfecto, & futuro subiungentis modi. Aliqui corripiunt, ut quęrimus quęritis. Hæc i, in penultima producunt, nolite, nolīto, nolīmus, uelīmus, uelītis, sīmus, sitis.

Canon quartus.

O In cremento uerborum lōga esto, ut amatote, legitote. V breuis est: ut uolumus, nolumus, sumus, quęsumus.

Obseruatio.

PRimę & medię, quæ his legibus, quæ sunt expositæ non possunt cognosci, quātæ sint cognoscentur hac arte. Nam de ultimis eadē est ratio. Si qua difficultas est, ea in medijs inest. Vt igitur aliquo modo minuatur discentium labor, ne sit opus cōsulere semper in medijs thesauros, & Calepinos, excogitandę fuerunt dictiones aliquæ, quarū beneficio mediæ syllabę, & primæ, quæ cognosci non poterunt legibus assignatis, intelligatur facile, quanta

sit

ſit earum quantitas. Quemadmodum enim Dialectici ingenioſi barbaras quaſdam dictiones, artificioſas tamen, quarum eſſet in figuris argumentum vſus: Ita hæ excogitandæ fuerunt, ut facile, qui eas habeat in mente, videat, an in ea dictione ſyllaba, uel hæc, vel illa ſit lõga, uel breuis. Ac primum de primis, deinde de medijs agemus.

De Primis ac primum de uocali.

āl Mā Sā Nā.

A Ante l, m, n, s, in diſſyllabis producitur. Vt tālus, bālo, fāma. Sāmus, uānus, Iānus, nāſus, cāſus, & hęc fābula. crābro, flābellum, lābor eris, pābulum, tābes, & uerbalia in bilis, flabilis pręter hăbilis, & ſtabilis; ācer, Acis, Cācus, brachę, brāchium, Dacus, facundus, māchina, mācero, Pachinus, Pacuuius, Plāco, Thrāca, uācia, uācinium. Clādes, Gādex, rādix, rādo, ſpādix. traduco, trado. Gradiuus. Afer, flagitium, flagito, fabus, magus, pagus, magalia, plaga pro uulnere, ſagus, ſaga, tragula, ſtrages, ſtragulum, uagina, uagio, alea, baliſta, balena, caligo, Dametas, lamina, lamentor, amentum, ganeo, Apulia, Apenninus, Apidanus, crapula, rapum, ſapis, rapulo, areo, area, Barium, Caria, larius,

larissa, nares, pareo, & adiectiua in arus, ut clarus, rarus, carus, uarus, Asius, a, um, æsopus, basium, caseus, arella, Atys, ater, atina, chratis, gratus, catilus, crater, clatras, frater, mater, fatum, Latona, materia, maturo, maturus, matutinus, pratum, patagia, uates, Saturnus, Vaticanus, auius, claua, clauis, Dauus, flauus, Mauors, gnauus, gauisus, Lauinium, prauus, nauis, pauo. Hęc uero corripiunt ante consonantes illas malus, um, amo, chlamys, fames, famos, amita, mamilla, anas, canis, cano, anus, manus, anim⁹, Asia, asinus.

D E L E.

E Ante d, & l, in dissyllabis producitur, ut cedo, credo, uelum, celo. Et hæc creber, gleba, hebes, hebe, Thebas, Theca, lego as, demũ, demo, semen, remus, nemo, temo, phema, cepa, repo, clerus, ecra, heros, pera, uerus.

V E N V S T E.

E Ante n, s, t, & u, producitur, ut Rhenus, lenis, lenio, penuria, esurio, Rhetus, metior, meta, leuita, lẽuis. Et hæc debilis, debeo, flebile, Sebethus, trebula, lecythus. Pegasus, Rhegium, belua. Elisium, delubrum, electrum, Peligni, Pelusium, Peleus, Telephus, spelũca,

nela-

uelabrum, Telemachus, crementum, Emathia, emolumentum, eminus, femina, Phemonoe, semita. Hæc uerò ante prędictas consonantes corripiuntur. Sedeo, medicus, medius a, m, chelys, gelu, gela, celeris, uelut. Et polysyllaba ubi e, est ante l, ut melior, uetulus, uesenus, Geta, fretum, meto is, metuo, metallũ, Metaurus, Thetis, ueto, uetus, seuerus, breuis, leuis, hoc est non grauis.

I, In simili viridi.

I Ante d, l, m, n, r, s, u, longa est tam in dissyllabis, quàm in polysyllabis fido, nidus, filum, Nilus, crimen, limen, uinum, finis, miror, uirtus, Nisus, ciuis, risus, riuus. In trisyllabis pridie, rideo, filius, lilium, simia; hymera, uinea, linea, Pyramis, Pyrois, chirurgus, liuidus, uiuidus. Tolle hęc tamen, quæ primam corripiunt fides, Cydon, Dydimus, fidenæ, Hydaspes, Idume, ideo, uideo. Cylindrus, cilix, filix, hilaris, Ilerda, milium, pilus, siler, silet, sileo, siliqua, stilus, filia, fimus, hymen, nimis nimium, simul, similis, thymus, timeo, cynapes, cynędus, cinis, lino, minor, minę, sinus, Minerua, Minius, ministro, minuo, miniscor, sinapis, sine, sinistra, sino, inops, chiragra, lyra, hyrundo, hyrudo, Myron, pyrus, pyra,

Pyracmon, Pyropus, Pyretrum, Isaurus, nisi, miser, Ptisana, siser.

O, Bodogosmo.

O Ante b, d, d, g, m, s, producitur, o tamen ante d, solum in dissyllabis, ut robur, rodo, codex, cogo, como, pomum, Moses. In polysyllabis, nobilis, sobrius, ogygius, comessor, roscidus, adde ociũ. Excipies cocytus, focale, Oceanus, Ocyor, Phoca, Phocis, pcerus, uocalis, poculũ, boletus, doliũ, moles, molior, Nola, nolo, oleatus, olim prolixus, proles, Tmolus, solus, soler, solers, conor, conus, donum, nonę, pronus, pone, pono, Zona, copia, copulo, Opis nympha, Opilio, populus pro arbore, sopio, Corus uentus. corã, Doris. corolarium, hora, lorum, Horicus, morus, Orithyia, Orion, chorax, forafte; ploro, gloria, Proteus, Clotho, ouum. Sed ab illa lege longarum excipies globus, obesus, obolus, obex, probo, probũ, soboles, modus fodio, Rhodos, odor, Podalyrius, Rhodope, sodalis, Rhodanus, rogo, rogus, toga, Bromius, coma, dominus, domus, homo, domo, glomero, Homerus, uomo, stomachus, tomus, Osyris, rosa.

V, Iucundus Frugum.

V Ante c, d, f, g, m, n, r, s, longa esto in omnibus, ante alias breuis, ut duco, lucus, cudo,

cudo,ludus,rufus,ufens,ruga,nuga, humor,dumus,fanus,Iuno,curo,fura, Drufus, fufus. In polyfyllabis luceo, iucundus, prudentia, crudelis,iugerum,lugeo,mutuus, humanus, unicus,Punicus,curia, uridus,muficus, pufio, uter,luteus,mutus,nuper,rupes, pupillus, fcrupeus,mula,uligo,Thule,uber,nubes, iubilus, nubo,pubes,fuber, tuber. Ante alias confonãtes tam in diffyllabis quàm in polyfyllabis breuis eft,cùbo,dubito,culex,lupus,cupio:& ante prędictas,in his. cùcumis, cucurbita, cuculus, ftudium,rudis,fudes,rudens,tuder,fugio,fuga, iugum,cumulo,Numa, humerus, Numantia, numerus,numifma,Rumex,tumeo,tumulus, tumultus,tunica, cuneus, cuniculus, curetes, curulis,Durius nomen fluuij,furio, muria,nurus,murio,fpurius,pufillus,fufurrus.

De Medijs.

A in medijs Vaga.

A Ante g, & u, longa eft, ut Vorago, Carthago, Timauus, octauus,& uerbalia in abilis definentia,ut amabilis, & in abundus, ut populabundus,& in abulum,ut incunabulum,Atabulus,Benacus,cloaca, meracus, paftinaca, piftacium, portulaca,farriacum: Et in aculum, ut gubernaculum. In aceus,ut hor

deaceus, uenacium, & cicada. Et in alis, ut uocalis, canalis, & in amen, ut certamen, leuamen: & in anus, ut Germanus, Romanus: Messapus, anapis, serapis, priapus, sinapis, amaracus; & in arus, ut; auarus, amarus, cocleare, denarius, & in arius, ut sextarius, agaso, amasis, omasum, Aratus, Achates. Hæc uero ante g, & u, corripiunt, ut Asparăgus, uertagus, pelagus, Acuriagus: mandragora, & in goras, ut Pytagoras, & Batauus, Patauium.

E, uel ME, DECENT.

E Ante c, d, l, m, n, t, u, producitur, ut uerecundus, imbecillus: tolle, Seneca, Diomedes, Sarpedon, tolle Andromeda, esse dum, Macedo, Tenedos, unedo, famēlicus, phasēlus. tolle obēlus, sepelio, Erēmus, sūpremus. Tolle elementum, Triptolemus, Ptolemæus, Antenor, uerbena. Tolle Arměnia, Helěna, hebenus, iuuenis, ingenuus, ingenium, olenus, Porsena, & in genes, ut Protogenes, Hermogenes, & stenes, ut Aristhenes, Parthenope, & in mene, ut Climene. Comēta, morētum. Tolle amethritus, chrysanoletum, Iapētus, Macetes, Phaēton, Taygeta, Venetus, & in etas, ut pietas, uarietas, & sueuus. Ante alias consonantes omnia breuia præter hęc. Corēbus, ephēbus,

ephēbus, cethegus, Asclepius, Iosephus, præsepe, austerus, a, um, cythera, abdera, cypērus, galerus, Homerus, Hyera, misterium, Hiberus, sincerus, seuerus, trieteris; dis, carchesium, diœcēsis, frenesis, Galesus, Halesus, Milesius, Marpesus, Magnesia, mathesis, poesis, & ab esus composita, adesus, peresus.

I, QVI.

I Ante q, u, longa est ut antiquus, obliquus, saliua, Gradiuus, & Aricia, quæ in icula, uel iculus desinunt, ut cornicula, canicula, caniculus, conuiuium, ceruical, periculum, rediuiculum: & in ica, uel icus, ut amicus, apricus, lectica, formica, fastidio, Abydos: & in ido, ut libido, formido: & in go, ut uertigo, fatigo, fastigium, Orīganum, uectigal, asylus, Aprilis, exilis, ædilis, crocodylus, Massylus, Quintilis, sextilis, subtilis, & ile, ut sedile, monile, & in ilis, a nominibus substantiuis, ut puerilis, Ariminum, discrimen, opimus, quadrimus, sublimis, & nomina à uerbis quartæ in imen, ut munimen, farcimen; Ante sæpius longa, ut opinor, Pachinus. Fere tamen in inus breue, ut cedrinus, asinus, & in ina, ut fuscīna. At butyrum, Burisis, corcyra, colliciumi, Epyrus, delirus, papyros, saphyros,

Amphry-

Amphrysus, Anchises, aruisium, Cambises, Elysa, Dionysius, gauisus, prodisus, aconitum, Architas, Cocitus, idolothiton, hermaphroditus, irrito, Lusitania, margarita, pituita, parasitus, Thesites, ualitudo. Et in ites, uel ita Græca, ut leuita, leuites. Et in itus, ut auritus, auitus, Amphytrite. Præter aliquis, reliquus, siliqua, & omnia alia ante alias consonantes, præter quam ante q, & u.

O, Tomenos.

O Ante n, m, s, t, longa est, ante alias breuis, ut amōmum, abdomen, corona, Verona, fōrmosus, aquosus, Epirota, ægrotus, & hęc: October, præfoco, Aetholia, capitolium, Pactolus, Asopus, Canopus, Aesopus, Europa, hyssopus. Aurora, elorus, Pelorus. In orus, ut decorus, odorus. Deniq. quoties apud Gręcos scribitur ω magno. Tolle tamen ante prędictas cō sonantes, Salōme, Solōmo, Aponus, Ausōnia, octōnum, Geryones. In gone, uel gonos, ut Anthigonus, Erigone, Ambrosia.

V, Iucundus F R V G V M.

V Ante c, d, g, m, n, r, s, t, longa est, ante alias consonantes breuis, Eunuchus, Veruca, hirundo, erugo, acumen, fortuna, Arcturus, acutus, Chreusa. Et hæc saluber, adulor,

Getulus,

Getulus, torcular, peculium, & in bulus, ut Trasibulus. Et ante prędictas consonantes excipies docūmentum, autūmo, columē, irrumo, emolumentum, contumax, tumeo, monumentum. Albunea, Camurus, lemures, centurio, luxuria, Mercurius, purpura, sabura, penuria, tugurium. Et uerba in rio ab ultimo supino, ut esurio, parturio, arbutus.

De Vltimis Syllabis.

VLtima syllaba quanta sit cognoscitur diphthongo, ut Musę: Positione, ut lex, canone.

A.

A in fine longa est, ut contra, ama, a musa.

Prima Exceptio.

CAsus in a, a nominibus primę rectus, & quinctus, a neutris rectus, quartus, quinctus, corripiuntur, ut templa. Vocandi tamen casus in a, a nominibus in as longam habet, ut ó Aenea.

Corripiunt etiam puta aduerbium, ita, & quia; nomina uerò in ginta communem habent.

E.

E in fine breuis est, ut patrĕ, legĕ, impunĕ.

Prima Exceptio.

GRæca nomina in E longa sunt, ut Physice, Tempe, Secunda aduerbia in E a nominibus

nibus secundæ, & quinctæ declinationis, ut sanctè, doctè, pridie, quare: Pręter bene, & male. Tertia casus in e, a nominibus quinctę, ut fame, fide, & ferme, fere, & monosyllaba, ut me, te, præter tres coniunctiones que, ue, ne. Quarta, modus imperandi secundę coniugationis, ut docē, monē, sed caue etiam correpta reperitur.

I.

I, in fine longa est, ut dedī, seruī, patrī, sensuī, tuī. Prima exceptio. Casus dandi, & uocandi a nominibus Græcis in as, corripiuntur, ut Palladĭ, lampadĭ, dandi tamen casus aliquando producitur. secunda, Nisi, quasi, uti, sicuti; corripiuntur. Mihi, tibi, sibi, abi, ibi, communem habent in y, breuia sunt, Moly, Dory.

O.

O, in fine longa est, ut uirgo, domino, legendo, dō, flō, prō, ō, & Græca in ω magno, ut Dido, Aletho. Prima exceptio. Ego, dico, scio, modo, cito, ilico, corripiuntur.

Appendix.

GRammatici o commune statuunt, quòd apud Ouidium, uel Martialem modo lōgū, modo breue inueniant. sed cum nec Virgilius, nec Lucretius, nec Elegiæ principes corripiāt,

com-

commodius est ex eorũ cõsuetudine leges de promere, quàm ex nullorum libertate, ut initio oẽm licẽtiam fugiat puer. Deinde lectione assidua auctorũ discet quid sequendũ, quid uitandũ sit. Illud tamen animaduerti apud hos auctores tunc ultimã in uerbis & nominibus tertię declinationis habere ultimã modo breuem, modo lõgã quoties penultima est breuis, uel ante est uocalis, ut lego, caro, legio, annuo.

V.

V, longa est, ut tũ, diũ, cornũ.

C.

In c, finita producuntur, ut fac, lac, duc, pręter nec, & donec. Hic pronomen est cõmune.

B, D, T.

In b, d, t, terminata corripiuntur, ut ab, apud, caput.

L.

Terminata in l, corripiuntur, ut Hannibal, tribunal, mel, fel, uigil, pugil, præsul, consul, sed, sol longa est, & barbarum, ut Michael, Nicol.

N.

Desinentia in N, longa sunt, ut en, quin, Delphin, grammaticen. Prima exceptio. Forsan, forsitan.

In

In an, tamen cum compositis corripiuntur. Secunda. Nomina masculina & neutra in e, corripiuntur, ut flamen, pecten, numen, nomen, prçter ren, splen, lien. Tertia. Casus in on, prçter o paruum corripiuntur, ut Ilion, Pelion, & quartus in in, ut Alexin, Daphnin, & in an, a nominibus in a, ut Ephigenian, Laodomian.

R.

Finita in R, corripiuntur, ut Cæsar, calcar, imber, linter, uir, martyr, labor, lepor, guttur, murmur. Prima exçeptio. Hæc sunt lóga lar, ar, nar, par, Ver, cur, fur. Producuntur etiam Græca in r, ut Charactēr, cratēr, prçter pater, & mater, quæ licet maneat a Grçcis, corripiuntur tamen.

As.

As in fine longa est, vt pariēs, morēs, leges, dies, audies. Prima exceptio. Grçca cuius patrius est in os, corripiunt, ut Pallas. & accusatiui Græci in as, ut Platonas.

Es.

Es ultima longa est, ut patrēs monēs, leges, audies, dies. Prima exceptio. Quæ in patrio casu crescunt corripiunt es, ut miles, diues, præter hæc. Aries, paries: Ceres, abies, pes secunda.

Recti

Recti plurales in Es a nominibus Græcis corripiuntur, ut Arcades,es, a sum, penes,hippomanes,cacoethēs. Es uerò quando est ab edo, longa est.

Is.

Is in fine breuis est,nt febrīs, legīs. Prima exceptio. Casus in is primę & secundæ producuntur,ut musis, dominis, uis, nomen. Et in is diphthongo Græca,ut Piroīs,simoīs. Secunda uelis & nolis. Quę crescunt in patrio, ut lis,samnis,& uis,& uelis,& nolis,sis,a sum, ut adsis, quamuis. secundę personę singulares quartę,ut fulcis,scis.

Os.

Os lōga est,ut flōs,cos,dominōs.Exceptio. Os ossis breuis est,compos & impos.Græca in o paruo,ut Decos,chaos,Pallados.

Vs.

Vs in fine breuis est,ut munus,domus. Exceptio, Monosyllaba longa sunt pus,rus,mus. omnes casus in us, quartæ præter rectum sensus: & Græca ut Panthus, Melanthus,& quæ patrio casu producuntur. ut uirtus, tellus, palus,senectus,& IESVS.

Ys.

Ys corripitur,ut Thetys,chelys,libys.

De

De Syllaba communi.

SYllaba fit communis in uersu quinque modis, primus modus est, quoties post diphthongum, uel uocalem natura longã sequitur proximè uocalis, ut apud Virgilium,

Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia
fingunt.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Et longum formose uale, uale inquit Iola.
Clamassẽt, ut littus Hylã Hylá oẽ sonaret.

Secundus quoties dictio desinit in uocalẽ breuem, aut simplicẽ consonantem post correptã uocalem h aspiratione fit uocalis communis.

Grauis homo infectos linquens profugus
Hymenæos.
Dum trepidant it hasta Tago per tempus
utrumque.
Tytirus hinc aberat ipsi &c.

Tertius modus, omnis syllaba in fine uersus ẽ communis, licet sit multo melius produci, uel corripi pro ut pes ultimo loco adhiberi solitus postulauerit.

Quartus modus, uocalis breuis ante mutã, & liquidã fit cõmunis, ut tenĕbrę, uel tenēbrę.

Quinctus mod⁹ cęsura fit syllaba, quæ breuis est natura, longa, & potest ẽt remanere breuis.

Desine

Define plura puer,& quod nunc instat agamus.

Et furijs agitatus amor,& conscia uirtus.

Altius ingreditur & mollia crura reponit.

Luctus vbiq, pauor,& plurima mortis imago

Ecce trahebatur à tẽplo, adytisq; Mineruę.

Appendix.

Veterum more,s.cum alteri consonanti adiungebatur,siue præcederet uocalem breuem natura,siue subsequeretur,solebat syllabam communem efficere.

Egregie cordatus homo Catus Aelius sextus.

Atque hęc de syllabarum quantitate,restat ut agamus de pedibus,quibus uersus constat.

De Pedibus.

VT ex syllabis constant pedes, ita uersus è pedibus. Pedis autem officium est quidam ueluti motus,quoniam mox in alia dictione celerius uidetur terminari, in alia tardius. Vnde Horatius dixit uersum currere,quoniam vt nos pedes mouendo,releuandoq; ambulamus: ita uidetur uersus currere pedibus conflatis ex syllabis modo depressis,modo eleuatis, ut natura pedum requirit. atq; hinc dicimus uersum scandere. Nec uerò omnis uox est pes,

sit monosyllabæ, ut honorificentissimus, & plerunque scinduntur uoces ad pedes efficiendos, ut. Arma, virumq; cano, Arma ui, rumq; ca, no. est igitur pes syllabarum dispositio numero certo numerosa. Hinc pro syllabarum numero pedes sunt, ut uersus propemodum numero, & ut uersum pedibus metimur, sic pedem temporibus. Vt cũ dicimus domus, breuitate & celeritate utimur, cum uerò mores longius, quia bina spatia temporis hic collocamus in quauis syllaba, cum ibi tantum unum ponamus, constant igitur syllabæ pedes. Primus pes duarum syllabarum, duæ illę aut breues ambæ, aut longæ, aut altera breuis, altera longa: prior quando longa, posterior breuis, quando prior breuis, posterior longa. Quando utraque breuis, dicitur Pyrrhichius, ut Amor. Quando utraque longa spondæus, ut uirtus. Quando prior longa, posterior breuis, Trochæus, ut Mater. Quando prior breuis, posterior longa Iambus: ut Palus. Trisyllabi eadem ratione sunt octo, aut enim omnes syllabæ sunt longę, & dicitur Molossus, ut Romanos, aut omnes breues, ut Tribrachus, dominus. aut duæ breues, una longa Anapæstus, ut genitrix. Aut duæ longæ, tertia breuis, Palimbachius, ut Romanus.

nus. aut prima breuis duę longę Bachius, ut colores. Aut prima lōga duę breues Dactylus, ut carmina. Aut longa inter duas breues Amphybracus, ut docere, aut breuis inter duas lōngas Creticus, ut Iudices. Quadrisyllabi sunt sexdecim, quia tot modis dispositę inueniuntur syllabę. Aut omnes longę, aut omnes breues, aut tres breues, una longa, aut duę breues duę longę. Aut una breuis, tres longę, aut una longa, tres breues, Aut duæ longę, duæ breues, aut tres longæ una breuis, aut duæ lōgę in medio duarū breuium, aut duæ breues inter duas longas, aut alternatim breues duæ, duæ lōgæ, aut alternatim longæ duæ, breues duæ. Nec hi pedes diuersi a superioribus, sed ex illis compositi. Atque ita pedes sunt viginti octo. Ex his primus fit ex duobus spondæis, & dicitur dispondæus, ut venatores. Secundus ex duab. Pyrrihichijs, dicitur Proceleumaticus, ut ĭtĭnĕră: Tertius ex Pyrrhichio, & Iambo, Pæan quartus, ut studuerant. Quartus ex Pyrrhichio & spondæo, Ionius à maiori, vt venerari. Quinctus ex Iambo & spondæo, Epitritus primus, ut sacerdotes. Sextus ex Trochæo & Pyrrhichio, Pęan primus, ut definite. Septimus: spondęo, & pyrrhichio Ionius à minori, ut por

tabimus. Octauus ex spondæo & trochęo; Epitritus quartus, ut Constantinus. Nonus ex Iambo, & trochæo Antipastus, ut honoratus. Decimus ex trochæo, & Iambo, choriambus, ut nobilitas. Vndecimus ex duob. Iambis, Diiambus, ut propinquitas. Duodecimus ex duobus Trochæis Dichoreus, ut consequutus. Decimustertius ex Iambo, & Pyrrhichio, Pæan secundus, ut potentia. Decimusquartus ex Pyrrhichio, & Trochæo, Pæan tertius, ut sociare. Decimusquinctus ex Trochæo, & spōdæo Epitritus secundus, ut indicabunt. Decimussextus ex spondæo, & Iambo Epitritus tertius, vt Discordiæ. Et quoniam his constat uersus, uideamus, quid sit uersus, & quot genera.

De Versibus.

SEnsu mentis, aut explicamus oratione soluta, aut numeris certis astricta, quæ compositio Rhythmus dicitur, ex qua compositione Græcè metrum, Latinè uersus modus, carmen dicitur. sed tamen differant significatione. Rhythmus est duplex, alius in syllabis propter pedes, alius in pedibus propter uersum. estq; Rhythmus nihil aliud quàm mensura quędā, & proportio pedum inter se pro rei designatæ

modo:

modo: Nam alia est concinnitas, & proportio si dicam, Tu patulæ recubans sub tegmine Tytire fagi, Et alia si dicam, Tytire tu patulę recubans sub tegmine fagi. Vnde apparet non idem esse Rhythmum, & metrum, quoniam remanet metrum, non tamen Rhythmus: metrum enim est quātitatis mensura in uersuum materia. At Rhythmus est cōpositio astrictioris qualitatis in collocatione. Metrum est ordo quidam, & coniunctio vocum debito numero conclusa, & finita. Carmen dicitur quasi canimen, quia canebantur. Modus ferè eadem ratione a modulor, ut modulus. versus verò dictæ sunt illæ lineæ, siue sulci, quibus uerba scribebantur, dum stilo ducebantur notę. Translatione sumpta ab agricolis, ut enim illi uertunt terram, ita ut quod erat subtus sit supra, depressioq; relinquatur, sic qui in cera scribebant, sulcabant quodammodo tollentes aliquid ceræ, & insculpentes literas, unde Latini dicunt literas exarare, atque ad eam similitudinem dicti sunt uersus in omni scriptura tractus illi orationis. Cum uerò cantus esset redactus ad numerum astrictiorem, uersus nomen antiquum sibi proprium fecerunt Poetæ, ut Oratores orationē. Vnde versus nihil est

aliud quàm connexio castigata certo pedum dispositorum numero. Genera uaria sunt, & nomen sortiũtur a numero pedum, ut senarij: aut mensurarum, ut dimetri, aut à numero syllabarum, ut hendecasyllabi: aut à pedibus, ut Dactilici, Iambici, aut ab usu, ut Elegiaci, aut à gente, ut Ionici, aut a societate, ut Lyrici, sed hoc loco trademus quædam, quæ frequentius usurpantur. De alijs suo loco copiosius. Ac primum de Heroico.

De carmine Hexametro.

HIc uersus, & senarius dictus est, quod sex habeat dimensiones, constetq; è sex pedibus. Et spondaicus, quod olim pedibus spondaicis constaret. Pythius, quod cum Apollo Delphis Pythona serpentem occideret, Nymphæ eum incitarunt carmine ex sex pedibus. Dicitur quoque Deliacus ab Apolline Delio, quia Phenomene uates Apollinis, hoc genere carminis uaticinabatur. Dicitur etiã ἔπος à consequentia, siue uerborum contextu. Heroicus denique, uel Herous, quia res gestæ Heroum hoc uersus genere scribebantur.

Constat ex pede Dactylo, & spondæo miste, ita ut quincto loco sit ut plurimum Dactylus, sexto spondæus. In quatuor prioribus misti pos-

ſunt eſſe,uel omnes dactyli,uel ſpondæi. Nec licentiam bene uocant Grammatici, dum in quincto loco ſpondæus ponitur: Nam ſi res po ſtulet non niſi ſummo artificio collocatur. Si enim res graues ponderantur,aut languor qui dam exprimitur,aut res narratur, quæ quiete indigeat,certe ornatiſſime non ſolum in alijs, ſed etiam quinto loco ſpondæus ponitur.

Cara Deum ſoboles magnum Iouis incrementum.

Tunc ille Aeneas, quèm Dardanio Anchiſæ.

Conſtitit atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.

Cornu uelatarum obuertimus antennarũ.

Quando uerò res indiget celeritate, dactylis pedibus opus eſt.

Conſtitit hic,arcumq; manu, celereſque ſagittas

Corripuit,fidus quæ tela gerebat Achates.

Volat ille per aera magnum.

Remigio alarũ, ac Libycis citus aſtitit oris.

Quando res eſt mediocris miſcentur pedes temperati.

Infandum regina iubes renouare dolorem

Troianas,ut opes, & lamentabile regnum,

Sed in hæc ingredi alienum esset ab loco, & copiosius esset explicandum. Interea admoneatur puer, ut uitet uoces quadrisyllabas, vt frugiferentes, & moderari. Nec desinat in duas uoces dissyllabas, ut bibat auro. Vitet similiter cadentia, & desinentia, ut magnorum sanctæ virorum. Hactenus effrænis domini modo paret habenis. Vitet participia in fine uersus, munera ducens, nec singulis carminibus sententia absoluatur, sed aliquando dictio ad perfectum sensum ad alium uersum referatur: ut

Vrbs antiqua fuit Tyrij tenuere coloni, Carthago.

Parce metu Cytherea manēt īmota tuorū
Fata tibi.

Amet finem uersus in dissyllabum, & trisyllabum, ut fata canebant. Tempora pono.

De Pentametro.

PEntametrum carmen, ut nomen indicat, constat quinque pedibus. Nam vt Quinctilianus monet lib. 9. cap. 4. terminatur duobus Anapæstis primi duo sunt dactyli, uel spondei. Tertius spondeus, ut Tibullus,

Et teneat culti iugera multa soli.

Et tĕnĕ- dactylus: āt cūl- spondeus. tī iū spondeus. gĕrā mūl. Anapæstus. tă sŏlī. Anapæstus.

Vel

Vel certè facilius, & commodius duo primi pedes, uel ambo Dactyli, uel ambo spondei, uel misti, deinde cęsura siue pręcisio, postea duo dactyli, & altera præcisio, ut

Et tĕnĕāt cūl-ti-jugera multa so-li.

De Asclepiadeo.

ASclepiades quidam medicus fuit inuentor generis cuiusdam carminis ferè proximi pentametro, quoniam si addas unam cæsuram fiet pentametrum. Primus pes est spondeus, secundus dactylus, & cęsura, deinde adduntur duo dactyli, ut

Mœcenas atauis edite regibus.

Si dicas, Mœcenas atauis edite nobilibus, pentametrum feceris. sequor istam rationem, quia facilior, ut ita commodius se offerat oratio. Pedes enim quadrisyllabi difficilius animo occurrunt, animusq; Poetæ distrahitur à sententia numerorum difficultate.

De Phaleucio.

PHaleucium carmen ab inuentore, Hendecasyllabum a numero syllabarum. Primus pes, uel est spondeus, uel Iambus, ut apud Catullum videre est, quod ille non licentia usurpauit, ut nugantur grammatici paruæ lectionis, sed è Græcis est mutuatus, ut

Paſſer deliciæ meæ puellæ.
Meas eſſe àliquid putare nugas.

Secundus pes eſt dactylus, deinde tres trochęi.

De Sapphico.

AB inuentrice Sappho. Primo loco recipit trochæum. Secundo ſpondæum, ſiue inter dum trochæum. Tertio dactylum, deinde duos trochæos. *Horatius.*

Iam ſatis terris niuis atque diræ
Grandinis, miſit pater, & rubenti.

Catullus.

Otium Catulle tibi moleſtum eſt
Idem, ſeu ſagas, ſagittiferosq; Parthos.

Quod ille non licentia, ſed imitatione inuentricis fecit.

Eodem modo Seneca.

An uerax uaris lapidis Caryſtos.

Hoc uerò, uel ſolum ponitur, ut uidebis apud Senecam, uel poſt tres uerſus, illi additur Adonicus, ex dactylo, & ſpondeo, ut

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops.
Nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi
Fugerit uenis, & aquoſus albo
Corpore languor.

De Iambicis.

IAmbici uerſus uarij ſunt, & a pedum numero

mero uariè appellantur, à Iambo Iambici. De Iambicis comicis non est hic locus, & sunt qui libros confecerint. De Iambicis Horatianis habes apud ipsum Aldi studio explicatam uarietatem. Iambici uersus Dimetri iucundissimi, & ad epigrammata suauissima, constat sex perpetuis Iambis, *ut Catullus*.

Phasellus, ille, quem uidetis hospites.
Aiunt fuisse nauium celerrimum.

De figuris Carminum.

Figuræ, ut in oratione, sic in uersu sunt ornamenta, & lumina, quibus ille uariatur, ut non semper eodem modo efferantur. Primum ornamentum est cæsura, quæ tãtum exornat carmen, ut sine illa carmen esse non possit. Quo plures enim cæsuræ erunt, eo præstantiora erunt carmina. Quod si destituatur cæsuris, parum cohæret, & indignum hoc nomine est iudicandum. Illud optime cohæret, ubi pedes pedibus ita connectuntur, ut copulati pendere uideantur tanquam ex catena, ut

Infandum regina iubes renouare dolorem.

At hic insulsus.

Inclyta virtus ducet nos ad sidera cœli.

Hanc etiam præcisionem uocant, incisum, incisionem, mansionem, concisionem, sectionem,

articulum. Sunt autem huiusmodi præcisiones quatuor, quæ Grece nomen habent à numero syllabarũ. Trithemimeres, Penthemimeres, Epthemimeres, Enneamimeres. quòd earum loci sint syllabis imparibus, tertijs, quintis, septimis, & nonis. Trithemimeres fit cum post primum pedem syllaba relinquitur, quæ post dictionem terminat, & metrum incipit, vt

Iustitiaq; dedit gentes frænare superbas
Iũstĩtĩ-- a, nam a, syllaba remanet à dictione iustitia, quæ dictionem finit, & est principium pedis. & fit in tertia syllaba etiam si quarta esse uideatur, quoniam duas correptas pro una longa accipimus, quando metimur uersum. Penthemimeres fit, cum post duos primos pedes syllaba remanet, quæ dictionem finiat, ut

Iustitiaq; de-dit, syllaba remanet abscissa, dedit, quę & finit dictionem, & est principium pedis. Hinc Penthemimeris dicitur, quia duo pedes & semis sunt illa significati. Epthemimeres fit quoties post tres primos pedes syllaba relinquitur dictionem terminans, & principium pedis, vt

Iustitiaq; dedit gen-- tes. Nã relinquitur tes. syllaba. Enneamimeres etiã fit cũ post primos

quatuor pedes syllaba similiter relinquitur, ut

Ille caput niueum molli ful-tus hyacintho.

manet à dictione fultus, abscissa tus, finiens dictionem, & incipiens pedem. Quocunque tamen loco sit ratione cæsuræ syllaba indifferẽs est, quoniam sistitur in ea dimensio. Vnde syllabę natura breues longę fiunt in cęsura, ut in Trithemimeri.

Inualidus etiamq; tremẽs, & iã inscius ęui.

In penthemimeri.

Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

Nam potuisset dicere, Omnia uincit amor, sic nos cedamus amori. Sed non hęrebat eruditissimus Poeta, nec licentiam adhibebat huiusmodi syllabas breues alioqui pro lõgis. Sed summa doctrina, & iudicio, ut item in Penthemimere faciunt Elegię principes.

Tibullus.

Lacteus & mistus obriguisse liquor.

Catullus.

Perspecta exigitur una amicitia.

Propertius.

Aut pudet, ingenuus aut retinendus amor.

Ouidius.

Indignus effectus omnibus ipse magis.

Huc ut arbitror, referenda est Monomimeris,

quę

quę tunc fit,cum uersus incipit a uocali, quę orationis partem includat, & sequens dictio incipit à uocali, nec tamen per synalępham eliditur, sed remanet longa,quia ueluti quędam cęsura finit dictionem, pedemq; incipit, *vt apud Tibullum.*

O ego ne possem tales sentire dolores.

apud Ouidium.

O' utinam tunc cum Lacedęmona classe pe tebat.

Quod etiam in medio ubi cęsura est, ut

Flumina amem, syluasque inglorius, o ubi campi.

Quoties uerò est secunda, aut tertia dactyli perpetuò corripitur,ut

Te Corydon ò Alexi, trahit sua quemque voluptas.

Hoc tamen locũ non habet,quoties dictio mo nosyllaba desinit in uocalem,uel in m,& sequi tur dictio incipiens a uocali,nã tunc fit collisio: *vt Virgilius,*

Si ad vitulam spectes nihil est quod pocula laudes,

Catullus.

Qui ipsę suę natę iunxerit in gremium. &,

Nam vnguentum dabo meę puellę.

Nec

Nec verò ornamentum ſpectatur in his ſolum quatuor locis: ſed in carmine heroico etiã poſt quinque pedes quoties remanet ſyllaba dictionem claudens, & pedem incipiens. Cuiuſmodi ſunt apud Virgilium pleraque exempla, vt

Spes Danaũ fractæ uires, auerſa Deæ mens.

Nam relinquitur æ, dictionem terminans, & pedem incipiens. Quoniam uerò non ſemper poſt pedem una ſola relinquitur ſyllaba, ſed aliquando duæ, aliæ etiam conſtituentur cęſurę. Nam eſt quędã cęſura Trochaica quoties poſt duos pedes primos in fine dictionis Trochæus ſupereſſe videtur, qui Dactylum incipiat, ut

Infandũm rē - - gina- nam gina Trochęus eſt abſciſus à dictione regina, & ideo Trochaica cæſura dicitur. eſt etiam cæſura quædam, quę Tetrapodia uocatur, cum poſt primos tres pedes relinquitur Epthemimeris, cui additur dictio duarum breuium finiens pedem, vt

Quam Iuno fertur terrīs măgĭs omnibus vnam.

Hanc etiam agnoſcit Diomedes, licet noui Grammatici prętermittant, & aliquando in eadem dictione, ut, Nos patriam fugimus, tu Tytĭrĕ. uel ex duabus, Quo te Mœri pedes, an quo viã.

De

De Synalepha.

SYnalepha est figura, qua uocalium inter se concurrentium in diuersis dictionibus hiatus tollitur. eadem collisio, explosioq; dicitur, quia finalis uocalis elidatur, ut

Progeniē sed enim Troiano à sanguine duci

Ille ego qui quondam. Atque hęc figura nō solum necessitate metri assumitur, sed ut solidescat numerus cum quadam dignitate. Nam ad ipsum uersum sustentandū collisiones fiant plerunque necesse est, suntq; studio quęrēdę suis locis. quoniam ex hoc hiatu fit solidior numerus cum quadam aurium voluptate, pręsertim cum eędem concurrunt uocales, vt

Otia agunt terris.

Ipsa autem ceu corticibus.

Ipse ego cana legam.

Ipsi inde fossis specubus securus ab alta.

Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu.

Aliquando breuis in breuem coit, ut

Ille ego qui quondam.

Aliquando breuis in longam, ut

Multum ille & terris iactatus, & alto.

Aliquando longa in breuem.

Credo equidem, nec uana fides genus esse Deorum.

Aliquando longa in longam.

Aut acres venabor apros, non me ulla uetabunt.

Interdum diphthongus in longam, uel in diphthongum, uel breuis in diphthongum, ut Dardanidæ è muris. Sunt etiam ex eruditis, qui putent, s, cum sua uocali per synalepham elidi, vt limina tectorum, & medijs in penetralibus hostem, ubi is absumitur. Lucretius lib. 2. est è leuibus atque rotundis. & ita Virgilius,

Inter se coijsse uiros & decernere ferro.

Aut ouiū fœtus, aut urentes culta capellas, ubi os & us eliditur, & illud,

Eueniunt, nec te comitem hinc asportare Creusam.

Vbi as, in asportare eliditur per scansionem. Fit autem hiatus in omnibus pedibus, ut notabis passim, sed optimè in quarto, & quincto.

Quid facerem, neque seruitio me exire licebat,

Narcissum, & florem iunget bene olentis anethi,

Aurataśque trabis ueterum decora alta parentum

Relliquias colerem, & Priami tecta alta manerent.

Ætnæos fratres cœlo capita alta ferentes.

Huc referuntur etiam illi uersus, quos Grammatici uocant Hypermetros, ut

Clamore incendunt cęlũ Troesq́, Latiniq́;.

& sexcẽta huiusmodi, quæ passim apud bonos Poetas reperiuntur. In quibus synalepham locum habere dicendum est, Nam uersus heroicus cum primum pedibus spondeis totus cõstaret, ita dactylum spatijs temporum sibi parem assumpsit, ut nunquam tamen expelleretur de sede sexta, ut uel hac ratione agnosceretur spõdaicus. Quemadmodum uersus Iambus, & si alios pedes admittat, in sexta tamen sede ipse locũ semper tenet, ut uel illa percussione agnoscatur. Atque ita in his heroicis, uel erit Trochæus pro spondeo & syllaba referetur per synalephen ad proximũ uersum, quod uidemus Poetas diligentissimè seruare, ut semper proximus versus incipiat à uocali, uel certè per synæresim contrahuntur duæ uocales in unã, quod frequentissime videmus, ut in illo

Inseritur uero ex fętu nucis arbutus horrida.

Nam horri-Trochæus est pro spõdeo, da vero eliditur per synalephẽ in proximo uersu, q est,

Et steriles platani &c.

Aliquando tamen remanet spondeus, & per synalephen,

nalephen,uel ecclypſim eliditur ſyllaba,

Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humo-
Aut foliis undam. & (rem.
Si non tanta quies iret frigusq́;, caloremq́;,
Et crines flauos.

Atque ita ſemper inuiolata permanet ſedes ultima ſpondeo. At in illis ubi ſequitur uocaſis poſt uocalem fit ſynezeſis,ſiue ſynereſis,& omnia ad ſpondaicã dimenſionem referuntur, ut

Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia. &,
Cœumq́ue, Iapetumq́ue creat, ſæuumq́ue Typhoea. &,
Laquearibus aureis....s.

Omnia Typhoa,& auris dimetiendum eſt.

Appendix.

HVc item credo referri poſſe comploſiónẽ, quando non ſemper elidũtur uocales, vbi hiant aliquando prẹſertim loco cæſuræ vocales longæ,& diphthongi etiam ſi cadunt in uocales,tamen uim ſuam obtinent,vt

Quid ſtruis aut qua ſpe inimica in gente moraris?
Clamaſſent, ut littus Hylã Hylã omne ſonaret.
Arcebis auido pecori, armentaq́ue paſces.

Vt uidi, ut perij, ut me malus abstulit error.
Mæonia generose domo, ubi pinguia culta
Inclusam buxo, aut Oritia Terebintho
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Etiam breuis quamuis cadat in uocalem producitur ratione cæsuræ, ut

Me finite auferte metus, ego funera faxo.

Corripiuntur longæ interdum, ut

Et longum formose ualē, ualē inquit Iola
Credimus an qui amant, ipsi sibi somnia fin
gunt
Te Corydon ò Alexi, trahit sua quemq; voluptas.
Victor apud rapidum simoenta sub Ilio alto.
Insulæ Ionio in magno, quas dira Celeno.

Breuis remanet item quæ breuis erat, ut

Et vera incessu patuit dēa, ilic ubi matrem.

De Ecthlipsis.

Ecthlipsis est figura, qua, m, cum sua uocali eliditur per synalepham, ut

Litora, multū ille & terris iactatus & alto.

ubi mult'ille scandendum est. Hæc item intelligitur in fine quemadmodum de synalepha diximus. Vt plurimum semper ecthlipsis fit in longa positione, vt

Post-

Postquam introgressi, & coram data copia fandi

Illum expirantem transfixo pectore flãmas

Illum,& labentem Teucri, & ridere natantem.

Apud ueteres m̃,etiam si sequeretur consonãs sola excludebatur uersu,ut Lucretius lib.2.

Lanigeræ pecudes,& equorũ duellica bella.

Aliquando solum corrumpebatur, ut apud Ennium.

Insignita forent tam millia mĭlĭtũm octo,

& Lucretius lib.1.

Corporum officium est quoniã ponere om nia deorsum.

Corporum augebit numerum, summamq́. sequetur.

De Synereſis.

SYneresis fit cum duę uocales in eadem dictione nulla interiecta consonante pro una accipiuntur.Fitq; hoc modis plurib⁹,uel enim duæ breues pro una longa, ut

Bis patriæ cecidere manus quin protinus omnia.

Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea

Canities inculta iacet,stant lumina flãmea.

uel longa & breuis pro longa,ut

Fixerit eripedem ceruam licet, aut Erymanthi,

vel breuis,& longa, prolonga,ut

Vnius ob noxam,& furias Aiacis Oïleĩ

Inferias Orpheo lethea papauera mittens,

Aut ut mutatos Terẽi narrauerit artus

Atria depẽdent lychnis laquearibus aureis.

Aliquando fit synalepha, & breuis, & longa pro una accipiuntur,ut

Vna, eademq́ue uia sanguisq́ue animusq́ue sequuntur.

Vno,eodẽq. igni,sic nostro Daphnis amore

Vno,eodẽq. tulit partu, paribusq. reuixit.

Per eandem figuram deinde, proinde, deinceps, dissyllabæ sunt dictiones. Dehinc monosyllabum, deest.dissyllabum deerat, deerit. Inuenitur etiam apud Virgilium deerrauerat quadrisyllabum. Cui,huic,dijs apud Virgilium semper monosyllaba inueniuntur, apud alios dissyllaba,ut Statius in syluis.

Lętus huic dono uideas dare iusta nepotes.

Ouidius.

Si nemo est,omnesq. Dij non posse fatẽtur.

Catullus.

Nõ ita me Dij amẽt qdquã referre putaui.

Compo-

Composita a semi sequente uocali I, amittunt in scansione, ut semiustus, semianimus, semihominis. V, quoque sequente uocali in eadem dictione post s, potest in uersu amittere uim suam, ut suetus, suauis, suasit, suada: Nam aliquãdo retinet suam uim, ut apud Horatiũ,

Cum mihi non tantũ furesq́;, ferę q́; sũetæ
Immo agite, & positis, quę uox inopina suasit.

Huc etiam referri possunt ea, quę cum scribantur duplici i, pro uno accipiuntur, ut peculij, tugurij, Pataiuj, Lycij, ingenij, precij. nam ingeni, preti, tuguri pronuntiamus.

Appendix.

QVi uim huius figuræ expenderit, facile intelligit in uersu hexametro nullos pedes proceleusmaticos esse fingendos. præsertim cũ Seruius in primo Georgicorum, & in secundo Aeneidos Probus, & Terentianus in illis parietibus, abiete, genua labant, & similia dactylum esse affirment. Nam contrahuntur duæ syllabæ in unam, unde fit, ut i, & u, fiant consonantes. & ita b, n, r, cum tali consonante positione faciunt, ābĭĕtĕ, pārĭĕtĭbus, gēnŭă lăbant, siue id in principio, siue in medio eueniat, & in illo,

Tityre pascentes a flumine reijce capellas, quinctus pes dactylus est, nam per senæresim i,& c. contrahuntur in unam longam.

De Diæresi.

DIęresis est figura, qua una syllaba uertitur in duas sectiones; *Ouidius*,

Debuerat fusos euoluisse suos:

qua tamen figura rarò erit utendum.

De Diaplasmo.

DIaplasmus est figura, qua consonantes geminantur, quæ simplices erant, ut relliquiæ, repperit, reppeto, rettuli. pro rēliquię, reperit, rēpeto, retuli. Per Diastolem uero apud Poetas inuenies syllabam longam correptam, ut stĕtĕrunt, miscuĕrunt, Per systolem longam correptam, ut canē. Atque hec de figuris carminum breuiter dicta sint. plura alias de toto hoc genere. nunc pauca de accentu erunt perstringenda.

De Accentibus.

QVoniam uerò efferendis syllabis, etiam quanta illa sit, quam in pronuntiando afficimus, intelligimus, & syllabæ accidit modulus hic, quem accentum uocamus, perutile erit de ratione efferendi syllabam pauca subiungere, ut res hęc, quę ad prosodia discipli-

nam attinere uidetur, tota sit explicata. Nam accidunt uoculationes syllabæ, quas cantiúcu-las, siue accentus dixere ab accino, is, quia dū uocem efferimus modulis quibusdam, uel deprimimus, uel eleuamus, ita ut cōcentus quasi quidam efficiatur. Est autem accentus mensura, siue syllabę modus. Hunc triplicem facit Marcus Tullius lib. 3. de Oratore, in typis Gryphij paruis, pagina 510. Quinctilianus lib. 1. cap 5. Aulus Gellius lib. 13. cap. 24. acutum, uel grauem, & flexum. Acuti signum est uirgula a sinistra in dextram superius ducta, ut sica'mor. Grauis uirgula cadens situ contrario, ut porrò. Flexi uirga ex utraque apice constituta, ut mi͂les. Acutus syllabam attollit, grauis deprimit: sed non potuit iniuria tempo ris ad nos permanare in Latina lingua inter hos tres discrimen. Nam solum sentimus acutum, illis temporibus, qui Roma, audiebat ex ratione accentus cognoscebat quoto esset casu, quia si sexto accentu acuto prior significabat, si quouis alio, flexo, lingua patria istud dīscrimē intelligitur, ut mēta, me͂ta, ro'ta, ro͂ta, anda're, signo're, fare'mo, amo're, signo're, grauis est in omnibus alijs syllabis eorundem uerborum. Nam accentus acutus in duabus tantum

tum sedibus potest esse. In penultima quoties illa longa est, & ultima, uel in antepenultima, quoties penultima breuis est. Flexus in penultima, quoties illa longa est, & ultima breuis, ut uecti͂gal, amo͂ris, uel in ultima in monosyllabis, ut fo͂ns, ro͂s, grauis est in alijs omnibus. Itali plerumque acuunt ultimam a fine, ut de'siderano, ma'gnificano, pe'rseuerano, & in quarta, ut pre'dicano.

De legibus Accentuum.

OMnis dictio monosyllaba natura breuis, aut longa positione acuitur, ut fe'l, me'l, nu'x, ge'ns. Quæ uero natura est longa circumflectitur, so͂l, mo͂s, me', te', deprimi itē potest. Omnis dissyllaba dictio, si prior est longa, & ultima, acuitur, ut mo'res, do'tes, si prior lōga ultima breuis, circumflectitur, ut mo͂ris. Ro͂ma. Item si utraque breuis sit, uel solū prior, ut De'us, ne'fas.

Omnis dictio polysyllaba, si penultimam longam habeat, & breuem. ultimam, circumflectitur, ut Ere͂mus, uirtu͂tis, si utramque longam acuitur, ut Roma'nos, labo'res. Quod si penultima sit breuis accentus: acutus protrahitur in antepenultimam, ut pampinus, mo'deror, a'rida, te'nuis.

Om-

Omnes uerò aliȩ syllabæ, quæ neque acuũtur, neque circumflectuntur, grauẽ habent accentum. Hinc colliges hanc legem, Nullam dictionem dissyllabam, aut polysyllabam habere accentum in ultima. non igitur porrò, palàm, aliàs. Quod Quinctilianus apertè probat lib. primo, cap. 5. negatq́. Latinam dictionem ultimam, aut acuere, aut circumflectere. sed falsò id excogitarunt Grãmatici. Nam P. Nigidius æqualis Ciceroni, & in omni doctrinȩ genere insignis, negat syllabam ultimam acui, aut circumflecti posse. lege Aulum Gellium lib. 13. cap. 24. lege Ciceronem lib. de Oratore pagina 464. si enim dicendum esset porrò, ut uociferantur isti, ut distinguatur a nomine porrum, & sanè a sanus; quare non proximè, sapientissimè, optimè, facilè, crebrò, serò, citò, carè, nequis nomina putet esse? Ego etiam Arpínas, Aquínas, de'duc, ca'lefac cum Quinctil. pronuntiabo, & cȩtera generis eiusdem eodem modo. Nec dicam illu͂c, istu͂c, adhu͂c, illĩnc: At quod in compositione uolunt tertiã a fine acui, se'orsum, du'mtaxat, de'inde, alíquando, pro'inde, enímuero, quínimmo. sed Gellius id refutat lib. 7. cap. 7. contra Ananum quendam, qui a'ffatim dici uolebat, cum
appríme,

apprime, affatim dicendum sit, licet bene dicatur approbe. Quod si hoc fieret propter cōpositionem, quare non diceremus, cōpello, e'xpono, mu'ssella, e'xtollo, o'bscepo? Si dictio cōposita possit dissolui utraque suum accentum possidebit, ut nihilominus, uel nihilo'minus, si non potest, lege generali pronuntiandum est, ut alicubi, alibi, inibi.
Attractio non efficit, ut dicamus plera'que ita'que, quoties ultima ante encliticam longa natura, uel positione fuerit puto accentū collocandum esse in penultima, ut homines ne, ferræ ne, cęlumque, diemque. Sed si breuis sit in antepenultima, ut itaque utraque in recto, & ple'raque. Nam huiusmodi particulæ uel coeunt, & faciunt unum uerbum, uel sunt diuersæ, si coeunt certe sunt pronuntiandæ accētu unius dictionis, unde dicendum, Lauinaq; uenit, mellaque decussit. nō bona'ue, mala'ue, Lauinaque uenit, mellaque decussit. Nam si coeunt, ut dicendum est poculaque tribulaq. accentu in penultima. Et est contra legem, quia quando illa breuis est non potest habere accentum acutum, neque circumflexum. Vel poculaque, & hoc non patitur Latina loquendi consuetudo, ut quarta a fine acuatur.
Abscisio

Abſciſio non efficit, ut dicamus Mercu'ri, Virgíli, Ouídi, Vale'ri, Fabríci. Nam aliter iubet P. Nigidius Figulus æqualis Ciceronis apud Aulum Gellium lib. 13. cap. 14. Dicam Corne'li, Hora'ti, quia longa eſt penultima, At O'uidi, Vírgili, Me'rcuri, nec dicam cale'fac, rare'fac, frige'fac. quia licet apud Poetas ſit anceps: in oratione ſoluta breuis eſt. Igitur ra'refac, pro'in, de'in.

De Peregrinis uocibus.

PEregrína ut Hebræa, & Græca nunquam habent accentum in quarta á fine. Hæc ſi non reuocentur ad Latinam formam non ſunt accentú Latino proferenda, ſed uel Græcè, uel Hebraice. vnde Inda'm, Iaco'b, Iſra'el, Melchiſede'ch, Abimele'ch, Ephraín, Ephra˜ta, quia hoc loquunt Hebræi: ſic Penelo˜pe, Rhodo˜pe, Heca˜te, Antio˜pe, Callio˜pe, Theſe˜a, Orphe˜a, Rheto˜rice. ſi verò reuocentur ad Latinam formam ad Latinorum rationem erunt dirigenda, ita Antíopa, Pene'lopa, quibus utitur Marcus Tullius: Rhetorica, Grammatica, Seleuci˜a, Antiochi˜a, Alexandri˜a, Laodice˜a, quia Græcè per η ſcribũtur, ut Theolo'gia, Philoſo'phia, Geome'tria, Aſtrolo'gia, quia ſic quantitatis ratio præſcribit. Qui uerò caſus utrique

ſermoni

ſermoni ſunt communes,utroq; modo ſine reprehenſione efferri poſſunt,ut philoſophīa, & philoſo'phia uocandi & nominandi caſu. Nam Græci, Latinas ad ſuam normam reuocant. nos item. De Hebræis idem eſto iudicium. Qui uerò conſuetudinem nobis obijciunt, ne quæſo id faciant,quia non aliter quam barbarè loqui poſſunt. Scimus in conſuetudine eſſe poſitam omnem loquendi conſuetudinem. Et multis Marcus Tullius oſtendit in lib.de Oratore pagina 500.uſque ad pag.502. & Quinctilianus lib.1.cap.5.& 6. & Aulus Gellius lib.5. cap.10.& Horatius in arte poetica.

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore uocabula, ſi uolet vſus
Quem penes arbitrium eſt & ius,& norma loquendi.

Sed ſi hoc uelim intelligant conſuetudinem,vt in uita eſſe dicimus conſenſum bonorum,ſic in ſermone eruditorum approbationem. Nec ꝗ uitiosè multi faciunt conſuetudinis uim debet habere, ut Marcus Tullius in Bruto: pagina 412. multis probat. & Fabius Quinctilianus lib.1.c.6. Cum enim ſermo Latinus nulli gen-

genti,& nationi ſit naturalis, de eo nemini licet quidquam mutare ſine reprehenſione. Ex quo illud intelligi debet, cum de accentu quæritur, non qui nunc homines loquantur, ſed qui fuerint olim illo aureo ſæculo locuti, quæritur ad eorum conſuetudinem. Qui propius acceſſerit præclare loquetur,& a deprauata longiſſimè receſſerit. Nec ut imperiti faciũt obijci licet Eccleſiam,cum illa non ſtatuat de accentibus. Nam barbari in eam iſtam conſuetudinem inuexerunt,non docti. Quos qui ſequitur eodem loco eſt. Non enim illa immutat accentus ueterum.

Hæc habui dicere de proſodiæ ratione,ut mihi quaſi aditum patefacerem ad ea, quæ commentor animo de uerſuum artificio, & natura, ut quaſi iactis fundamentis ſuperſtruam, totamq; hanc rem complectar. Hanc meam induſtriam ſi tibi gratam, Princeps puer, & Marchio, cæteris nec iniucundam, nec inutilem eſſe intellexero, reliqua quæ animo concepi,aggrediàr. Vale.

FINIS.





TECNICHE D'INTERVENTO

